



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines


Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.


We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>





DE
EMPTIONE VENDITIONE GRAECORUM
QUAESTIONES EPIGRAPHICAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

EDUARDUS GEORGIVS ANTHES

HASSO EX VICO BRENSBACH.

HALIS SAXONUM

FORMIS DESCRIPSIT E. KARRAS.

MDCCCLXXXV.

ANCIENS
9
f

+

MAY 12 1921

§ 1.

De emptione venditione Graecorum quamquam complures iam viri docti nostra memoria commentati sunt atque ea, quae de hac antiqui iuris forma antea nota erant, admodum auxerunt, supervacaneum tamen non esse putavi, ea, quae nova ex titulis lapidibus incisis cognita nunc habemus, cum virorum doctorum sententiis comparare. Nam illorum testimoniis nova nonnulla constitui, alia quaedam emendari atque propius ad veritatem admoveri posse existimo. Sed minime, quae apud scriptores veteres hac de materia inveniuntur negligenda vel aspernanda sunt; immo firmum eis continetur disputationis nostrae fundamentum.

Pauca praemittam de ratione totius commentationis.

1. Gravissimus veterum scriptorum locus est fragmentum illustrissimi iurisque peritissimi Aristotelis discipuli, Theophrasti, quod ab Ioanne Stobaeo (florileg. XLIV, 22) servatum est; atque dolemus, quod non plura sagacissimi viri ad nos pervenerunt, quibus etiam de aliis veteris iuris partibus doceremur. Optime editum est fragmentum ab Hofmanno, Beitr. z. gr. u. röm. Recht, p. 71 sqq., et a Thalheimio in appendice libri Hermanniani mox citandi; quare, ubi necesse erit, Theophrasti verba afferri Thalheimium sequar.

2. Non mirabitur quis, quod graecis de emptione venditione pactionibus non adiunxi eas, quas in Aegypto repertas habemus bilingues, id est graeca atque demotica lingua conscriptas. Neglegenda esse haec documenta propterea existimavi, quod longum hoc loco visum est quaerere, quantum graeci iuris in eis servatum habeamus, quantum aegyptiacarum legum sit proprium. Nam plane graecas institutiones non inesse unusquisque facile videt, quamquam *κυρίως*¹⁾ atque *βεβαιωτήρας*, fideius-

¹⁾ Révillout l. c. p. 156.

sores ¹⁾, ad graeci iuris consuetudinem referendos esse negandum non est. Qua de re, si quis doceri velit, libros inspicere licet hosce:

Lumbroso, Recherches sur l'économie politique de l'Égypte sous les Lagides, Turin 1870.

Révillout, Études Égyptolog. XIII livrais. „Chrestomathie démotique“, fasc. I, Paris 1880, p. 7 sqq.

3. Causae, quae oriebantur ex emptione venditione, hoc libello neglegendae videntur, quoniam in titulis lapidibus incisis nihil de iis inest. Quam materiam accurate tractaverunt Meier-Schoemann, Platner, Caillemer, locis infra indicandis.

4. De ea emptionis venditionis forma, quam Graeci appellabant „ὠνήν ἐπὶ λύσει“ hoc loco accuratius agendum non esse putavi, quoniam bona vendita non iam in alias manus transeunt, sed quasi hypotheca in prioris possessoris potestatem redeunt, si pecunia, cuius causa data est hypotheca, emptori soluta est. Egit de ea re Caillemer, Études sur les antiqu. jurid. d'Athènes IX („le contrat de louage à Athènes“) Paris 1869 p. 26 sqq.

Libros, qui de emptione venditione Graecorum agunt, cognovi hos:

Boeckh, „Staatshaushaltung d. Ath.“ passim.

Büchschütz, „Besitz u. Erwerb im gr. Altert.“ p. 532 sqq., 549 sqq., 553 sqq.

Caillemer, „Le contrat de vente à Ath.“ „Rev. de legislat. anc. et mod.“ . 1870/1 p. 631 sqq. et 1873 p. 1 sqq.

C. Fr. Hermann, „gr. Rechtsaltert.“, herausg. v. Thalheim imprimis § 11 p. 73 sqq.

Meier-Schoemann, „d. att. Process“ p. 529 sqq.

Platner, „Process u. Klage b. d. Att.“ II p. 334 sqq.

Addam titulos, qui sunt de hac materia:

A. De vendendis rebus immobilibus.

1. Hermes II, p. 171 sqq: (Amphipolitanus).

2. C. I. G. II. No. 2338 (Tenius).

3. Röhl, inscriptt. antiquiss. No. 381 (= *Μουσ. τ. εὐαγγελ. σχολ. ἐν Σμύρνη* II, p. 37, Bull. de corr. hellén. III p. 230) (Chius).

¹⁾ Révillout l. c. p. 40 sqq., 58, 102 sqq.

4. Le Bas et Waddington, Voyages etc. III, 327. }
 5. ibid. III, 338. } Olymenses.
 6. Fröhner, inscriptt. gr. du Louvre No. 49. }
 7. Le Bas etc. l. c. III, No. 414. }
 8. ibid. III, No. 415. }
 9. Bull. d. corr. hell. V, p. 105 A (= *Μουσ. Συμφ.* II, p. 50 sqq.). } Mylasenses.
 10. ibid. V, p. 109 B (= Le Bas l. c. III, No. 416, C. I. G. 2693°.) }
 11. ibid. V, p. 110 C.
 12. ibid. IV, p. 460 sqq. (Gortynensis).
 13. ibid. V, p. 491 sqq. Dittenberger, Syll. I, p. 136 sqq. (Iasensis).
 14. Newton, Essays on Art and Arch. p. 427 sqq. (= Bull. de corr. hell. IV, p. 295, Dittenberger, Sylloge I, p. 13 sqq.) (Halicarnassensis).
 15. *Μουσείον τ. εὐαγγελ. σχολ. ἐν Σμύρνῃ* 1876/8 p. 87 (Metropolitanus).
 16. *Poletarum tabulae*, C. I. A. I, No. 274—281; II, No. 778—783 et rationes centesimarum quae ex fundis venundatis redierunt ibid. No. 784—788 (Athenienses).

B. De vendendis sacerdotiis:

17. C. I. G. II, No. 2656 (Halicarnassensis).
 18. *Revue archéol.* 1877. t. XXXIII, p. 105 sqq. (= *Μουσ. Συμφ.* I, No. 108; Dittenberger, Syll. II, 535) (Erythrensensis).
 19. *Ἀθήναιον* VII, p. 207 sqq. (Bosporanus).
 20. *Berichte der Berl. Akad.* 1877 p. 474 (Bosporanus).

C. De servorum manumissione sub emptionis venditionis forma qui sunt tituli, multis in libris dispersi sunt, quare sufficiat, eos enumerare libros, quibus maior eorum inest numerus.

Wescher et Foucart, „*Inscriptt. recueillies à Delphes*“, No. 19—450.

Curtius, „*Anecdota Delph.*“

N. Rhein. Mus. II, p. 544 sqq.

C. I. G. II, 1699—1711.

Le Bas l. c. No. 898—963.

De hac manumissionis ratione optime disseruerunt Foucart (Archiv. d. miss. scientif II^e série III, p. 175 sqq.) et Wallon (Hist. de l'esclavage dans l'antiquité I, p. 334 sqq.).

Titulus C. I. A. II, No. 14^{a b c}, de quo Kirchhoff dubitat, utrum ad emptionem venditionem an ad locationem conductionem spectet, propter vocabulum „μίσθωσις“ (a vs. 19, b vs. 4), ad emphyteuticam quandam pactionem referendus est.

Emptionis venditionis pactionem in titulis supra collectis, ita fieri videmus, ut partes contrahentes sint

I. Universitates quaedam et privati homines.

a) Civitas et privati: 3—13, 15, 16, 18—20.

b) Templum et privati: 14, 17, tituli de manumissione servorum.

II. Privati homines: 1, 2.

Ad explicanda titulorum genera, qui nobis de emptionis venditionis pactionibus servati sunt, disquirenda sunt cum Theophrasti de ea re verba, tum ea, quae ex ipsis titulis colligere licet.

Promulgatam venditionem ideo intellegimus, ut

1. Hi solum inirent pactionem, quibus omne ius esset emendi et vendendi, neque violarentur alii, qui aliquid juris se habere putarent rei emendae vendendae.

2. Ut emptor, qui secundum leges contractum iniit, notus fieret magistratibus; lapides igitur tabularum publicarum loco functos esse concludas.

Quas Theophrastus profert promulgandi rationes hae sunt:

I. *Οἱ μὲν οὖν ὑπὸ κήρυκος κελεύουσι πωλεῖν καὶ προκηρύττειν ἐκ πλειόνων ἡμερῶν . . . παρὰ δέ τισι προκηρύττειν κελεύουσι πρὸ τοῦ κατακυρωθῆναι πένθ' ἡμέρας συνεχῶς κτλ.* Per praecones publice enuntiatur bonum vendendum; certum quoque dierum numerum legumlatores nonnullos instituisse docemur, quo alii suum ius rei vendendae demonstrare possent.

II. *Οἱ δὲ παρ' ἀρχῆς τινι, καθάπερ καὶ Πιττακὸς παρὰ βασιλεῦσι καὶ πρυτάνει (sc. προκηρύττειν κελεύουσιν). Ἐνιοὶ δὲ προγράφειν παρὰ τῇ ἀρχῇ πρὸ ἡμερῶν μὴ ἐλαττόνων ἢ ἐξήκοντα, καθάπερ Ἀθήνησι, κτλ.* — Publice collocandum est documentum, quo venditor se vendere velle rem quandam

confitetur. Athenis hoc quidem factum est ἐν λευκώμασι¹⁾, id est, inscripta est pronuntiatio tabulis albis, quas in bonis vendendis publice collocatas esse verisimile est. Item tituli Lebadensis²⁾ verba „εἰς τὸ λεύκωμα ἐκγράψουσιν“, quid sibi velint, perspicies ex usu Attico, de quo certo constat ex Lysiae oratione IX § 6: „ἐπιβαλόντες δὲ τὸ ἀργύριον πράξασθαι μὲν οὐκ ἐπεχείρησαν, ἐξιούσης δὲ τῆς ἀρχῆς γράψαντες εἰς λεύκωμα τοῖς ταμίαις παρέδοσαν“. Utrum ligneis solum tabulis an lapidibus etiam inscribere huiusmodi promulgationes in usu fuerit, discerni nequit; quippe cum ne una quidem inscriptio servata sit, quam huc referre possimus, lapides parsimoniae causa adhibitos non esse putes.

Inscriptionum iam duo genera disiungenda sunt, quae accuratius tractare propositum est. Accedat brevis singulorum titulorum descriptio, quos inter haec genera dividendos esse existimo. Neque mirandum est, quod complures tituli non uni solum generi tribuendi esse sed ad alterum quoque respicere videntur; simplicissimum enim erat, sicut demonstrabimus, facta prioris generis inscriptione ascribere nomen emptoris alias res, quae efficiunt, ut eodem iure inter alterius quoque generis titulos hanc pactionem numerare possimus atque prioris.

Tituli continent aut

I. Promulgationem rei cuiusdam vendendae ante ipsam emptionis venditionis pactionem, aut

II. Instrumenta publica, quibus factam esse emptionem venditionem pronuntiatur.

Tituli, quos prioris generis esse puto hi sunt:

1. C. I. G. II, No. 2656. Sermo est de vendendo Dianae Pergaeae Halicarnassensis sacerdotio. Additur emolumentorum enumeratio, quae ex munere sacro sacerdoti existunt. Femininis formis vs. 7: ἡ δὲ πριαμένη, 21: ἡ ἱέρεια, 29: πορευομένη, mulierem hoc Dianae sacerdotium obtinuisse docemur.

2. Bull. de. corr. hell. IV, p. 465 sqq. Antiquissima haec Gortynensis incriptio, quantum iam ex versibus admodum truncatis cognoscere possumus, legem de iure terras quasdam vendendi continuisse videtur. Plura vide in editoris adnotationibus.

¹⁾ Harpocr. s. v., Paroemiogr. gr. ed. Schneidewin I p. 405.

²⁾ Ἀθήναιον IV, 1875, p. 369 vs. 5.

3. *Μουσ. Συμβολ.* 1876/8 p. 87. Quattuor Metropolitanani tituli versibus finis inest decreti cuiusdam ad emptionem venditionem spectantis.

4. Fröhner, *inscrr. grecqu. du Louvre* No. 49. Dubitavi, inter cuius generis titulos collocandus sit Olymensis hic lapis; sed cum populiseitum contineat, quo decernitur, ut bona emanantur sacra pecunia, hoc loco eum enumeravi. Duae partes tituli plane inter sese divisae sunt, quarum priorem populiscitum, alteram quae instituta sunt secundum illud, continere videmus. Ut fieri possit emptio, si non sufficit pecunia in aerario deposita, eligendi sunt *κτηματῶναι* (v. infra p. 37) e civium numero, qui pecuniae tantum sumant a Sibilo quodam aliisque argentariis, *ὅσον ἂν ἐλλείπηι εἰς τὴν τιμὴν*. Alteram tituli partem inde a vs. 18 usque ad finem, civium electorum continere enumerationem videlicet. Utrum amissa sit ea pars inscriptionis, qua factam esse ipsam emptionem publice promulgatur, an fuerit hoc alteri lapidi incisum, nunc discerni non iam potest.

5. *Ber. der Berl. Akad.* 1877 p. 474. Hic titulus apud Byzantium in lucem prolatus hoc loco propterea tractandus est, quod emptoris mentio non fit; quae supersunt ad decretum pertinent de vendendo duodecim deorum sacerdotio. Audacius fortasse non est suspicari, in fine tituli una cum ultimis versibus amissum esse emptoris nomen, quod extremis versibus appositum esse in titulo *Ἀθήν.* VII p. 207 statuendum est.

Secundi generis hasce inveni inscriptiones, quarum primas nominem Mylasenses:

1. *Le Bas* l. c. III, No. 414 et

2. *ibid.* III, No. 415. Prior lapis nimis mutilus est, quam ut omnia, quae inerant, pro certo restituere possimus; sed lacunas ex eiusdem tituli altera parte, quae continetur titulo 415 l. c., cum multo melius servata sit, explere studuit Waddington. *Ὀτωροκονδέων φυλή* bonum quoddam emit, cuius nomen est „*Δημήτριον*“. Omnia, quae ad rem vendendam pertinebant, Iovis in manus transiisse, formula in titulis Mylasensibus saepius adhibita „*οὐθὲν ὑπολειπομένου ἑαυτῶι*“ significatur. Quae sequuntur: „*πλὴν τῶν διαμφισβητουμένων κτλ.*“ alio loco commentanda sunt (cf. p. 29).

Agitur in titulo Le Bas 415 de „embasi“, i. e. solemnī traditione rei venditae in dei vel eorum potestatem, qui deorum vices obibant.

Accedunt tres alii tituli Mylasis reperti:

3—5. Bullet de corr. hell. V, p. 108, A, p. 109, B, p. 110, C. Qui tituli, quamquam ad emphyteuticam potius pactionem quam ad emptionem venditionem quandam respicere videntur, tamen hoc loco inter alios de emptione venditione contractus collocandi sunt, cum locatio conductio, quae instituitur his titulis, tum demum fieri potuerit, cum plane perfecta esset emptio venditio. Unde fit, ut satis multa ex tribus hisce titulis de emptione venditione discamus.

A et C Kirchhoff unius tituli fragmenta esse suspicatus erat, quam opinionem Hauvette-Besnault, qui primus in lucem protulit titulum C, falsam esse satis demonstravit; similes quasdam ad res, non ad unam pactionem spectare titulos diserte docemur, neque habeo quae sagacis viri explicationi addam vel in ea corrigam.

Thraseas quidam civis Mylasensis templo Iovis bona vendit quaecumque possidet, id quod ex formula „*οὐθὲν ὑπολειπομένου ἑαυτῶι*“ satis apparet; sed eo consilio init pactionem, ut statim post factam emptionem venditionem denuo emphyteutico quodam contractu recuperet res venditas, neque solum in suum sed etiam liberorum heredumque usum fructumque. Optime quae in uno vel altero lapide mutila sunt vel omnino amissa, ex duobus alteris restituere licet; neque quisquam dubitabit, quin editoris illius Gallici emendationes plane probari possint.

6. Le Bas l. c. III, No. 338. Polites quidam Olymensis duo bona vendit, eadem formula „*οὐθὲν ὑπολειπομένου ἑαυτῶι*“ adhibita, de qua supra iam sermo erat. Adduntur condiciones utrique parti in pactione observandae.

7. Le Bas l. c. III, No. 327. Olymensis hic titulus eiusdem generis pactionem continuisse videtur; sed frustra conaberis quae infuerint indagare.

Omnes quos iam tractavimus Mylasenses atque Olymenses tituli docent, simillimas cum de emptione venditione tum de

emphyteusi leges habuisse has Cariae urbes. Ad unamquamque pactionem eligendi sunt *κτηματῶναι*, quibus mandata erat cura ineundi contractus. Etiam de insculpendis pactionibus utramque urbem easdem fere regulas secutam esse videlicet.

8. Newton, Essays p. 427. Tempia trium Halicarnassensium deorum, quibus nomina sunt Apollo, Minerva et Parthenos, bona quaedam publice vendunt. Agitur in priore parte tituli de vendendis domibus fundisque; altera pars est de vendendis civibus, quae accuratius tractanda est ubi sermo erit de rebus, quae venditari potuerint.

9. Rev. archéol. 1877, XXXIII p. 105 sqq. Nil inest titulo nisi simplex enumeratio sacerdotiorum venditorum, emptorum, pretii.

10. Bull. d. corr. hell. V, p. 491 sqq. Hunc titulum propterea inter secundi ordinis inscriptiones enumerandum esse putavi, quod cum ea pars tituli, qua docemur de populiscito¹⁾ tum ea, quae factam esse pactionem ex lege prioribus versibus incisa promulgat, post ipsam emptionem venditionem lapidi insculpta est.

Tres in partes divisus est titulus; prior, quae est vs. 1—6, populiscitum continet, quo decernunt Iasenses, ut eorum civium bona venditentur, qui contra Maussollum Cariae tyrannum seditionem facere conati erant, qua mox oppressa, eorum, qui seditionis erant compotes, bona in publicum addicta sunt. Secunda parte magistratus enumerantur, quarum sub auspiciis instituenda erat pactio; tertia denique parte (vs. 31 usque ad finem), emptorum nomina, res venditae, pretia enumerantur. De secunda tertiaque tituli parte pauca hoc capite verba fieri sufficet, quoniam de magistratibus atque de eis, qui munus quoddam obtinent in pactione ineunda alio loco diligentius tractare propositum est. Tertiae parti inest enumeratio rerum, ni fallor fundorum, quibus nomen est „*κλῆροι*“, de quibus, utrum agri publici an privatae possessionis sint, dubitari potest. Praecedunt alia bona, quae erant damnatorum, neque quisquam dubitabit, quin haec in singulorum civium potestate fuerint.²⁾

¹⁾ v. 6: ἐπώλησαν, v. 31: ἐπ]ρίαντο. v. 40: ἐ]πρίατο etc.

²⁾ γῆν vs. 31, 34, 36. ἀυλήν v. 40, καπηλείον v. 44 etc.

Non idem valere κλήρους atque cetera bona, quorum mentio fit, statuendum est; sed quomodo explicari possit res, me nescire confiteor.

11. Hermes II, p. 171 sqq. Solo hoc Amphipolitano titulo docemur, non eas solum pactiones litteris mandatas esse, ubi altera pars universitas quaedam erat, sed etiam in usu fuisse contractum lapidi insculpi, ubi privati homines ineunt emptionem venditionem.¹⁾

Restat, ut duas titulorum series hoc loco referamus:

12. Tituli de manumissione servorum sub forma emptionis venditionis (de quibus v. p. 5). Ad idem fere exemplum omnes exaratae sunt inscriptiones; primum enim indicuntur nomina magistratum, quibus imperantibus facta est emptio venditio, venditoris, servorum eorumque patriae, siquidem nota erat, testium aliorumque, quibus secundum leges opus erat in ineundo contractu; tum adscriptae sunt plerisque quidem pactionibus variae condiciones cum emptori tum venditori in pactione observandae.

13. Poletarum denique Atheniensium tabulae simplicem continent rerum venditarum, pretii, vectigalium, priorum possessorum enumerationem. Neque dubitabit quisquam, quin plane perfectae rataeque sint pactiones.

Medium tenere inter utramque titulorum seriem nonnullae inscriptiones mihi videntur. Quorum titulorum quamquam verbis non aperte docemur, verisimile tamen videtur, primum, idque iam ante pactionem, promulgationem lapidi insculptam esse, ut uni cuique notum fieret, venditorem rem quandam suae possessionis in alterius manus traditurum esse. Facta autem venditione simplicissimum erat addere nomina emptorum, testium, pretii, aliarum rerum quibus opus erat ad perficiendae pactionis notionem.

1. Röhl, Inserr. antiquiss. No 381. Bipertitam esse inscriptionem unusquisque facile intellegit. Prior pars, cui inest descriptio Dophitidis regionis finium, qua Chii erant potiti, lapidis latera continet A, B, C usque ad vs. 9. Altera pars lateris C versus 9 sqq. et latus D amplectitur, quibus nomina

¹⁾ Item Tenius ille tit. C. I. G. II, 2338, quamquam non continet pactionem ipsam, sed bonorum inter privatos venditorum catalogum, huc pertinere videtur.

emptorum pretiumque ex emptione venditione solutum intellegimus. Dolendum est, quod hic quoque lapis admodum truncatus est.

2. *Ἀθήναιον* VII, p. 207 sqq. vs. 1—27 decretum continent de vendendo Aesculapii sacerdotio, quod ex imperativis formis vs. 7: *χρηείσθω*, vs. 9: *ώνείσθω* aliis, elucet. Variasque condiciones et emolumentorum notationem, quae novo sacerdoti e munere sacro existunt, non deesse videmus. Facta venditione haec in fine adscripta sunt: vs. 28—30: *τιμ]ὰ ἱερωτείας σὺν ἑκατοστᾷ κ[αὶ τρια]κο]στᾷ δραχμαὶ πεντακισχίλια . . . [κον]τα ὀκτώ, τέτορες ὀβολοί· ἐπρία[το Σω? | πα]τρὶς Μηνίου*. Ceterum ex Constantinopolitana regione lapidem provenisse Dittenberger¹⁾ contra priorem editorem Cumanudem satis probabiliter demonstravit, qui eum „ἐξ Ἐρυθρῶν τῆς Αἰολίδος“ Athenas asportatum esse putavit.

Lapides in locis collocatos esse publicis, ubi semper eos inspicere liceret, cum ex ipsorum titulorum de ea re praeceptis tum ex eo imprimis elucet, quod satis magnum inscriptionum numerum — nomino Delphicas, quae sunt de manumittendis servis — in eis locis repertum esse constat. In foro vel in templo documenta collocare maxime in usu fuisse videtur. Quae in titulis de hac re inveni praecepta haec sunt: In Olymensi titulo valde mutilo Fröhner l. c. No. 49 vs. 16 sqq.: haec legimus: „*καὶ τοῦδε τοῦ ψηφίσματος τὸ ἀντίγραφον οἱ δὲ ἐνεστῶτες τα[μίαι ἀναθέντων] | Κυβμοῖς ἐν ᾧ ἂν ἐπὶ τὴν λέσχην τόπωι τῶν ναῶν, τῆς δὲ ὠνῆς καὶ τῆς ἐμβάσεως κα[ὶ τῆς ἀναγραφῆς τὸ ἀνάλωμα δό]τωσαν ἐκ τῆς προσόδου κτλ.*“ Vocabulo „ἀντίγραφον“ docemur, non semel modo insculptam esse pactionem, sed apographon contractus collocatum fuisse haud procul a templo.

Accuratissime hanc institutionem ex Mylasensi titulo Bull. de corresp. hellén. V p. 112 vs. 15 discimus: „*Υπογραψάτωσαν δὲ ἐν τῷ τῆς μισθώσεως χρηματισμῷ τόδε τὸ ψηφισ|μα. Ἀναγραψάτωσαν δὲ ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Διὸς Ὀτωρ κονδέων τὸν τε τῆς ὠνῆς καὶ τῆς ἐμβάσεως | καὶ τῆς μισθώσεως χρηματισμόν κτλ.*“ —

¹⁾ *Hermes* XVI, p. 164 sqq.

Simile quid inesse videtur fragmento edito a Fröhner l. c. No. 49^d vs. 4: . . . καὶ ἀναγραφάμενους τὰς κυριείας αὐτῶν εἰς τοὺς θεοὺς ἀκολ[ούθως . . . κτλ. —

Leges firmas de emptione venditione exstitisse in nonnullis civitatibus, ex titulis quibusdam demonstrari potest.

Delphi tales habebant institutiones, quibus, quomodo instituendae erant emptionis venditionis pactiones accurate perscriptum erat. Actionem vel causam indicendam esse legimus „κατὰ τὸν νόμον τᾶς πόλιος τῶν Δελφῶν“ vel „κατὰ τοὺς νόμους“.¹⁾ Saepissime post formulam „κατὰ τοὺς νόμους“ habemus „καὶ κατὰ τὸ σύμβολον“ (τὰν συμβολάν, τὰς συμβολάς), idque, ubi venditor non Delphicae est originis. Recte Foucart l. c. demonstravit, hanc „συμβολάν“ pactionem esse inter templum Apollinis eamque rem publicam, cuius civis est venditor, quam sententiam tituli 47 verbis „κατὰ τὸν νόμον τῶν Δελφῶν καὶ κατὰ τὸ σύμβολον τῶν Φωκείων“ satis probasse mihi videtur. Sed utrum σύμβολον ad solam servorum manumissionem spectet an ad alia quoque inter utramque universitatem negotia pertineat, ex titulis colligi nequit.

Mylasenses quoque talibus legibus usos esse ex titulo Bull. d. corr. hell. V, p. 112, C, vs. 13 elucet: πράσσουσι κατὰ τὸν πωλητικὸν νόμον, quae verba docent, legem quandam de emptione venditione pactionis condiciones praescripsisse.

§ 2.

De eis, qui emptionis venditionis pactionem inire poterant.

Iustam et legitimam pactionem inire poterant imprimis cives, qui suo iure utuntur. Praeterea dicendum erit de aliis quoque personis, quarum de iure emendi vendendique controversia orta est, mulieres dico, impuberes, peregrinos.

I. Cives, qui sui iuris sunt,

nulla impediabantur condicione, quominus, quae possidebant bona aut emptione auferent aut venditione alteri traderent. Apud scriptores nonnulli inveniuntur loci, quibus emendi vendendi ius interdum amissum esse docemur. Apertis verbis

¹⁾ Foucart, Arch. d. miss. scientif. II^e série III, p. 393 sqq.

Thucydides¹⁾ narrat, a Lacedaemoniis eos, qui Sphacteriae capti fuissent, hac atimia affectos esse, ut iure emendi vendendi privarentur: „ἀτιμίαν δὲ τοιάνδε, ὥστε μήτε ἄρχειν, μήτε πριαμένους τι ἢ πωλοῦντας κυρίους εἶναι“. Athenis quoque num valuerit haec lex, incertum est; ego Caillemerum sequor, qui Athenienses non eandem rationem secutos esse putat, quam Lacedaemonios; certe ne unus quidem scriptorum locus exstat, quo tale quid Athenis consuetum fuisse demonstratur. Tres autem locos, eosque Ps. Demosthenis²⁾, Plutarchi³⁾, Theophrasti⁴⁾ huc referendos esse puto ad cognoscendas Atheniensium de ea re institutiones. Ps. Dem. hunc affert νόμον: „ὅτε Σόλων εἰσήει τὴν ἀρχήν, τὰ ἑαυτοῦ διαθέσθαι εἶναι, ὅπως ἂν ἐθέλη . . . ἂν μὴ μανιῶν ἢ γήρωσ ἢ φαρμάκων ἢ νόσου ἕνεκεν, ἢ γυναικὶ πειθόμενος, ἢ ὑπὸ τῶν του παρανόμων, ἢ ὑπ' ἀνάγκης, ἢ ἐπὶ δεσμοῦ καταληφθεὶς“. Simillima sunt Plutarchi illa: „Οὐ μὲν ἀνέδην . . . τὰς δόσεις ἐφῆκεν, ἀλλ' εἰ μὴ νόσον ἕνεκεν ἢ φαρμάκων ἢ δεσμῶν ἢ ἀνάγκη κατασχεθεὶς ἢ γυναικὶ πειθόμενος“ κτλ. Solonis igitur legem uterque scriptor profert, qua institutum erat, ut is, qui non omnino mentis compos erat, διαθέσθαι non posset. Haec praecepta, quamquam ad testamentum ex legibus componendum spectant, tamen apta mihi videntur, quibus, qualis fuerit usus in emptione venditione, intellegamus; verisimile enim non est, eum hominem, qui testamento sua bona in alterius potestatem transferre non iam posset, iustam et legitimam emptionis venditionis pactionem inire potuisse, quam opinionem confirmari puto Theophrasti verbis hisce: „ἀλλὰ τοῦτο προσοριστέον, εἰ μὴ παρὰ μεθύοντος, μηδ' ἐξ ὀργῆς, μηδὲ φιλονεικίας μηδὲ παρανοοῦντος, ἀλλὰ φρονοῦντος, καὶ τὸ ὅλον δικαίως, ὅπερ κάκει προσθετέον, ὅταν ἀφορίζῃ παρ' ὧν δεῖ ὀνεισθαι“. Siquis igitur ebrius, vel iratus, vel omnino mentis compos non est, contractum ex legibus inire non potest. Firma enim ad instituta, fortasse Atheniensium, Theophrastum respexisse probabile est, cum, quae de emendi vendendi facultate profert, ad

1) V, 34, 2.

2) or. x. Στεφ. B, 14.

3) Solon, 21.

4) ap. Stob. l. c.

verbum paene conveniant cum Ps. Demosthenis Plutarchique locis supra exscriptis.

Plura de his rebus verba facere longum est, cum in inscriptionibus lapidibus insculptis tales semper viros agere videamus, quales legibus postulabantur. Fuerintne ei, qui propter animi imbecillitatem aliamve causam res suas ipsi gerere non possent, in aliena manu, quamquam diiudicari nequit, probabile tamen videtur.

II. Mulieres.

Nonnullis titulis quod inscripta videmus feminarum nomina, quae ipsae res gerere videntur, offendi credas legem illam, quam nusquam in Graecia non valuisse constat, ut mulier non haberet ius publice agendi; immo, quae volebat inire negotia, viro cuidam mandare coacta esset, cuius nomen „κύριος“ fuisse cum ex oratorum locis¹⁾ tum ex titulis plurimis constat; eumque maritum, patrem, filium, alium cognatum fuisse scimus. Velut maritus κυρίου munere fungitur C. I. G. No. 1608^b; pater ibid. 1608^c; filius ibid. 1608^d.

Athenis non plane caruisse iure emendi vendendi mulieres ex Isaeo²⁾ apparet: „Ὁ γὰρ νόμος διαρρήδην κωλύει παιδὶ μὴ ἐξεῖναι συμβάλλειν μηδὲ γυναικὶ πέρα μεδίμνου κριθῶν“. Eadem fere tradunt scholiasta in Aristophanem³⁾ et Harpocration.⁴⁾ Et antiquissimis iam temporibus hanc legem ortam esse ratio demonstrat, qua modus ille mulieribus definitur. Attamen colligas ex his locis, plane diversas fuisse Romanorum atque Atheniensium institutiones, quippe cum Romae omnino interdictum esset mulieribus, pro se ipsis publice agere, quod nonnullis scriptorum locis satis probatur. Bene Foucart⁵⁾ Graecorum Romanorumque de hac re institutiones verbis comparat hisce: „À Rome, servitude perpétuelle, à Athènes enfance et par suite tutelle perpétuelle“.⁶⁾

De Laconicarum mulierum crescentibus opibus, quarum

¹⁾ Is. de Dicaeog. hered. § 16 de Philoct. her. § 32.

²⁾ de Arist. hered. § 10.

³⁾ Eccles. 1024/5.

⁴⁾ ed. Bekker, 141, 9.

⁵⁾ Arch. des miss. scientif. 1866 p. 379.

⁶⁾ De Romanorum usu cf. Liv. XXXIV, 7: „Numquam exiit servitus muliebris“.

inter manus magna praediorum pars retinebatur, scriptores¹⁾ quamquam verba faciunt, minime tamen ex eo colligi potest, habuisse illas etiam facultatem publice sine *κνϱίω* agendi.

At titulis nonnullis inscripta videmus femiarum nomina suo iure utentium. Plerique eius generis tituli decretum continent manumissionis servorum, quorum liberatio eo fit, ut venditentur deo Apollini. Viri docti alii aliter explicandam esse rem opinati sunt. Perrot, quoniam omnes tituli huc referendi Delphis reperti, partim Delphicae originis partim ab eis, qui venerant ex doricis aut aeolicis regionibus exarati sunt, apud Dores et Aeoles eam legem non valuisse putat²⁾, quam inter alios Graecos fuisse vidimus, ne pro se ipsa pactionem inire posset femina. Sed si Perrotii sententia non firmiore nititur fundamento, non apta est, qua omnibus persuadeatur. Nemo enim dubitabit, quin omnes hae pactiones eis legibus respondere debuerint, quae Delphis valebant, neque habeamus alia in his titulis instituta nisi Delphica. Qui manumittunt oriundi sunt Amphissa, ex Locride, Doride, Phocide, Aetolia. — Aliter Foucart³⁾ rem expedire studet. Hanc venditionis rationem ab usitata ratione discrepantem sacrae cuiusdam dedicationis formam esse putat. Caillemer quidem opinatur, feminas etiam in hoc emptionis venditionis genere obnoxias fuisse legibus, neque quidquam impedire, quominus ita rem exponamus. Primum fuisse hanc dedicationis formam veram emptionis venditionis pactionem. Sed ex ipsis delphicis titulis⁴⁾ Thalheim demonstrat, mulieres post nuptias ius habuisse possessionis earum rerum, quae antea earum in manibus fuerant; qua de causa mulierem ipsam vendere potuisse suas res probavit. Sed mulierem sine *κνϱίω* emere non potuisse, nemo negabit. Mulier suam possessionem alteri tradebat, non vir, qui solum, quas leges exigebant formulas publicamque pactionem conficere debebat. Saepissime autem additos invenimus *κνϱίους, βεβαιωτῆρας* semper, quos plerumque ex proximorum cognatorum numero sumptos esse titulis probatur.

¹⁾ Aristot. Polit. II, 6, 10. Plut. Agis 7.

²⁾ Rev. crit. IV (1867) p. 36 sqq., quem librum inspicere non potui; sed Perrotii opinionem affert Caillemer l. c.

³⁾ l. c. p. 379 sqq.

⁴⁾ Wescher et Foucart no. 31, 92, 90, 341.

Eandem rem esse puto in titulo Mylasensi (Bull. d. corr. hell. V, p. 109). Artemisiae cuiusdam nomen sine curatore inest; alius autem eiusdem originis titulus (Le Bas III, No. 415) continet formulam vs. 16 sqq.: . . . Δημητριάδος τῆς | Δη]μητρίου, μετὰ κυρίου τοῦ πατρὸς Δη[μη]τρίου κτλ. (vs. 2 sqq.: ἐπρίατο Θρασέας παρὰ Ἀρτεμισίας κτλ., vs. 4: ὧν προσεπρίατο παρὰ Ἀρτεμισίας κτλ.). Sed ubi femina pro filio, qui nondum sui iuris est, pactum init, κύριον non deesse videmus; velut in Erythraeensi titulo Rev. archéol. 1877, t. XXXIII p. 105 sqq. C vs. 7: Νοσσὼ Σίμου καὶ κύ[ριος Ν]οσσούς Θεόφρων; Nosso enim pactionem iniit pro Astyno filio minore.

Mentio fit κυρίου etiam in lapide Tenio C. I. G. 2338 vs. 16, 17, 28, 41, saepius: μετὰ κυρίου. v. 63: συνεπαινού[των . . καὶ] κυρίου. Femina quoque una cum κυρίῳ hoc „συνεπαινοῦντος“ munere functa esse videtur ex v. 118: συγχαρούσης καὶ συνεπαινούσης κτλ. Teni quoque mulierem κυρίῳ carere non potuisse si quid publice agebat ex eo colligas, quod ubi ipsa emit femina, appositum est κυρίου nomen; contra ubi sermo est de finibus boni cuiusdam vendendi accurate describendis, inter vicinos ubi nominatur femina, non habemus κύριον appositum: vs. 100: οἷς] γείτονες Ἰφικρίτη καὶ τὰ παιδιά τὰ Δαικρίτου?

Halicarnassi (C. I. G. 2656) mulier sine κυρίῳ emere videtur Dianae Pergaeae sacerdotium; omissum esse viri nomen suspicor nisi, sacerdotia pro se ipsis emere potuisse feminas putes.

Item Erythris femina sine tutore rem gerere potuisse videtur; in titulo Rev. arch. 1877 l. c. pars C vs. 7 legimus: „Ἀρισταγόρη, κληρονόμος τοῦ . . διασυνίστησιν ἱερητεῖαν“ κτλ., i. e. „publice vendendam proponit“.

III. Impuberes.

Impuberes aequae ac mulieres pactionem ex legibus inire non potuisse cum re ipsa tum scriptorum quibusdam testimoniis docemur, quorum gravissimum est Is. de Arist. hered. § 10: „παιδὸς γὰρ οὐκ ἔξεστιν διαθήκην γενέσθαι· ὁ γὰρ νόμος διαρρήδην κωλύει παιδὶ μὴ ἔξειναι συμβάλλειν μηδὲ

γυναικὶ πέρα μεδίμνου κριθῶν“ κτλ. Schoemann (l. c. p. 571) quidem et Platner (l. c. p. 273) existimant, sicut mulieri, ita impuberi etiam licuisse emere et vendere, nisi pluris staret res quam unius modii hordei. Eam sententiam ex Harpocratonis (Bekker 141, 9) verbis elicuerunt hisce: „ὅτι παιδὶ καὶ γυναικὶ οὐκ ἔξῃν συμβάλλειν πέρα μεδίμνου κριθῶν“. Sed recte Caillemer Isaei locum pluris aestimat quam lexicographi verba, qui ex illo solo sua hausit. Atque cum ipsius Isaei tum scholiastae in Aristoph. eccles. 1024/5 confirmari puto sententiam illam, impuberi omnino non licuisse, pro se ipso pactionem quandam inire. Dicit enim orator apertis verbis l. c. „παιδὸς γὰρ οὐκ ἔξεστιν διαθήκην γενέσθαι“, quae verba pluris aestimem quam quae sequuntur: „ὁ γὰρ νόμος διαρρήδην κωλύει παιδὶ μὴ ἔξεῖναι συμβάλλειν μηδὲ γυναικὶ πέρα μεδίμνου κριθῶν“. Atque omnes puto in eo consentire, institutionem illam omnino ad Graecorum leges de impuberibus quadrare.

Plerumque is, cuius curae puer post patris mortem est mandatus, *ἐπίτροπος* dicitur, sed probe tenendum est, hunc tutorem nonnumquam *κύριον* dictum esse. Cuius rei non solum apud oratores testimonia exstant, sed etiam Mylasis eum *κύριον* appellatum esse ex titulo apud Le Bas III, 415 vs. 17 intelligimus: „καὶ Ἰάσονος καὶ Θεομνήσ[του] μετὰ κυρίου τοῦ πατρὸς αὐτῶν Θεομνήστου“ κτλ. Quamquam hoc loco pater est *κύριος* filiorumque in emptione venditione personam sustinet, tamen non dubito, quin patre mortuo tutor *κύριος* dictus sit ubi agebatur de bonis pupillorum administrandis.

IV. Inquilini.

Inquilinis permissum non erat, ut domos fundosque intra fines alienae civitatis emerent. Atticum quidem hunc usum fuisse ex eis titulis cognoscimus, quos collectos habemus a Schuberto¹⁾; ad atticum autem usum imprimis nobis erit respiciendum, cum non satis magna locorum titulorumque series exstet, qua doceamur, qualem rationem aliae Graecae civitates secutae sint in donanda encatesi, i. e. iure agros domosque emendi atque possidendi. Schubert (l. c. p. 41) ex eis titulis quos composuit, duplex encateseos genus distinguendum esse probat; aut enim

¹⁾ de proxenia attica, Lips. 1880.

I. domum solum possidendi ius donatur: C. I. A. II, 42, 70, 121, 222, 413, aut

II. bonorum etiam fundorumque possessio conceditur, quod magis usitatum fuisse ex 24 inscriptionibus elucet, quas Schubert collegit. Prioris generis formula est consueta: „καὶ εἶναι αὐτῶι οἰκίας ἔγκτησιν“, alterius: „εἶναι δὲ αὐτῶι καὶ γῆς καὶ οἰκίας ἔγκτησιν“. Alius generis enctesin tribuunt Athenienses mercatoribus quibusdam Citieis, quibus ut terram quandam acquirant ad exstruendum Veneris fanum permittitur: C. I. A. II, 168, 2, vs. 37 sqq.: „δοῦναι τοῖς ἐμπόροις | τῶν Κιτιέων ἔγκτησιν χ[ω]ρίου, ἐν ᾧ ἰδρύσσονται τὸ | ἱερόν τῆς Ἀφροδίτης, καθάπερ καὶ οἱ Αἰγύπτιοι τὸ | ἱερόν τῆς Ἴσιδος ἰδρύνται“. Aegyptiis igitur quibusdam iam antea eadem acquirendi potestas concessa est. Aegyptios autem et Citieos non vendere potuisse terram emptam verisimile est, quam ea modo condicione adepti erant, ut ἱερόν quoddam in ea erigerent.

Sed non Atheniensium solum, verum etiam aliarum civitatum consuetudo fuit, ut propter beneficia erga rem publicam emendi possidendique ius tribuerent inquilinis, id quod non exiguus titulorum numerus probat. Cuius generis titulos in C. I. G. collectos inveni hos:

Tribuunt cives:	„ἔγκτησιν“.	„γῆς κ. οἰκ. ἔγκτησιν“.
Acarmaniae:	—	C. I. G. 1793.
Boeotiae:	—	1567, 1566, 1562, 1724 ^b 1564, 1565.
Cretae:	2256.	2558.
Cumarum:	—	3523.
Deli:	—	2267, 2268, 2269.
Laconicae:	—	1334, 1335.
Mysiae:	3596.	—
Teni:	—	2333? 2352, 2353, 2354? 2357?
Tei:	—	3052.
Thessaliae:	1771, 1772, 1773.	—
Thraciae:	(„ἐγγάλων ἔγκτησιν“:)	2056.

Infinitem igitur encteseos ius tributum esse ex his inscriptionibus colligas.

§ 3.

Res, quae venditari poterant.

Siquis rem quandam vendere volebat, primum id studebat, ne quis dubitaret, quin omnino suae potestatis suaeque possessionis esset res vendenda. Atque omnia, quae quis possidebat, vendere potuit, nisi lege quadam defensum erat, ut haec vel illa res in alterius transiret possessionem. Neque in multis Graecorum civitatibus eiusmodi leges defuisse constat. De Atheniensium usu quoniam Boeckh¹⁾ optime disseruit, pauca modo commemorare satis erit; neque in scriptorum libris neque in ipsis titulis inveni, quo amplificari vel emendari possint ea, quae vir doctissimus protulit. Athenis permissum non fuisse terras emere quantum quisque volebat, Aristoteles²⁾ docet: „καὶ τῶν πάλαι τινὲς φαίνονται διεγνωκότες, οἷον καὶ Σόλων ἐνομοθέτησε, καὶ παρ' ἄλλοις ἐστὶ νόμος, ὃς κωλύει κτᾶσθαι γῆν ὀπόσῃν βούληται τις· ὁμοίως δὲ καὶ τὴν οὐσίαν πωλεῖν οἱ νόμοι κωλύουσιν ὥσπερ ἐν Λοκροῖς νόμος ἐστὶ μὴ πωλεῖν, ἐὰν μὴ φανερὰν ἀτυχίαν δείξῃ συμβεβηκυῖαν“. Item apud Lacedaemonios lex Lycurgi vetabat, fundos in alterius manus transferri³⁾, quam legem usque ad recentiora tempora valuisse ex eo constat, quod si quis labefactatis iam Lycurgi institutionibus alteri cuidam tradere volebat bonum, non vendebat, sed donabat, quoniam hoc legem supra commemoratam aperte quidem offendere non videbatur.⁴⁾

Addendum est populiscitum, quo Athenienses in altera symmachia, quam habebant in priore enctesin in omnium sociorum finibus sustulerunt, quod non solum Diodori (XV, 29, 7) verbis sed etiam titulo lapidi inciso C. I. A. II, 17 docemur: vs. 35:

¹⁾ Staatshaushaltung I, p. 6, 76, 116.

²⁾ Polit. II, 4, 4.

³⁾ De hac re cf. Gilbert Staatsaltert. p. 13.

⁴⁾ cf. Aristot: Pol. II, 9, p. 1270 ed. Berol.: „ὠνεῖσθαι μὲν γὰρ ἢ πωλεῖν τὴν ὑπάρχουσαν (scil. χώραν) ἐποίησεν οὐ καλὸν, ὀρθῶς ποιήσας, δίδόναι δὲ καὶ καταλείπειν ἐξουσίαν ἔδωκε τοῖς βουλομένοις“ κτλ. . . . „νῦν δὲ ἔξεστιν δοῦναι τε τὴν ἐπίκληρον ὅτῳ ἂν βούληται“.

Plut. Agis V, 2. „Ἐφορεύσας δὲ τις ἀνὴρ δυνατὸς. . . Ἐπιτάδευς ὄνομα, πρὸς τὸν υἱὸν αὐτῷ γενομένης διαφορᾶς, ρήτραν ἔγραψεν, ἐξεῖναι τὸν οἶκον αὐτοῦ καὶ τὸν κληρὸν ᾧ τις ἐθέλοι καὶ ζῶντα δοῦναι καὶ καταλιπεῖν διατιθέμενον“ κτλ.

ἀ]πὸ δὲ Ν|ανσινίκου ἄρχο[ντ]ος μὴ ἐξεῖναι μητε ἰδ|λαι μήτε δημοσ[ί]αι Ἀθηναίων μηδενὶ ἐγ|κτήσασθαι ἐν τ[α]ῖς τῶν συμμάχων χωρίαι|ς μήτε οἰκίαν μήτε χωρίον μήτε πριαμέ|νοι μήτε ὑποθε[μ]ένωι μήτε ἄλλωι τρόπω|ι μηθενὶ κτλ. ;

De eis rebus, quas venditas esse ex ipsis titulis intellegimus, iam verba facienda sunt. Id emptionis venditionis genus, quod appellatur *καπηλεία* quodque cotidie in foro fiebat, hoc loco plane neglegendum esse nemo negabit, quoniam, ubi statim solutum erat pretium, non opus erat inscriptione lapidi insculpta.

I. Immobilia.

De domibus, fundis, hortis, similibus plerique agunt tituli nobis servati. Multo maioris ponderis cum esset res vendenda, atque pretium non iam pactionis die totum pensitatum fuisse consentaneum sit, condiciones contractus lapidi insculpi publiceque collocari necesse erat. Quarum inscriptionum plerasque ita factas esse videmus, ut altera pars universitas quaedam esset, cuius vices obeunt magistratus, de quibus infra dicendum est. Sed etiam emptiones venditiones inter privatos initas lapidibus incisas esse, Amphipolitanus ille titulus Hermes II, p. 171 demonstrat.

II. Homines,

qui antea sui iuris erant, varias ob causas venditari potuisse cum scriptoribus tum titulis probatur. Quae apud illos de hac re inveni, haec sunt.

Boeckh (l. c. I, p. 446) docet, metoecum Atheniensem, si vectigalia civitati non pensitavisset, venditatum esse. Item incolae urbium regionumque ab hostibus captarum libertatem amisisse suoque iure privatos esse satis constat.¹⁾

Nobis hoc loco demonstrare propositum est, etiam in titulis non deesse crudelissimae illius antiqui iuris consuetudinis vestigia; duabus enim Halicarnassensibus demonstratur inscriptionibus, satis usitatam fuisse hanc rationem inter Graecos, quam apud crudeliores rudioresque Romanos longe diutius valuisse scimus etiam in iure privato. De Romano iuris forma, quam appellabant „nexum“, praeclaras commentationes cum scripserint

¹⁾ Xenoph. Cyrop. VII, 5, 73. Memorab. II, 2, 2. Polyb. II, 58, 9. Plut. Nic. 15.

Huschke et de Savigny¹⁾, hoc solum commemorandum est, spectare eas institutiones ad ius privatam, quippe cum Romae ei, qui aere alieno obruti, quae debebant, solvere non poterant, libertatem publiceque agendi facultatem amiserint. Aliter autem res se habet in titulis Halicarnassensibus, quos non spectare ad ius privatam sed ad publici iuris usum ac consuetudinem iam demonstrandum erit.

1. De priore inscriptione pauca verba facere sufficiet; pactum continet inter Lygdamin, Cariae tyrannum civesque Halicarnassenses et Salmacitas²⁾; adduntur condiciones poenaeque, quibus ei multandi sint qui pactionem quaeque in ea constituta erant, laeserint: vs. 32 sqq.: „τὸν νόμον τοῦτον | ἦν τις θέληι [συ]-
χέαι ἢ προθῆτα[ι] ψῆφον ὥστε μ[ὴ ε]ἶναι τὸν νόμον τοῦ-
τον, τὰ ἐόν[τα] αὐτοῦ πεπρῆσθω | καὶ τῶπολλων[ίωι] εἶναι
ἱερά, καὶ αὐτὸν φεύγειν ἄ[μα]. ἦν δὲ μὴ ἦι αὐ[τῶι] ἄξια
δέκα σ[τα]τήρων, αὐτὸν [π]επρῆσθαι ἐπ[ὶ] ἑξαγωγῆι καὶ
μη[δ]αμὰ κάθοδον [εἶν]αι εἰς Ἀλικ[αρνη]σσόν“ κτλ. Apertis
igitur verbis hominem venditari potuisse docemur, si legis con-
dicionibus non steterit atque si ea, quae possidebat, non pluris
fuerint quam 10 staterum. Ex verbis „πεπρῆσθαι ἐπὶ ἑξαγωγῆι
. . . καὶ μηδαμὰ κάθοδον εἶναι εἰς Ἀλικαρνησσόν“, damnatum
in externas civitates venditandum fuisse apparet neque in cuius-
quam civis Halicarnassensis manus eum transire potuisse; neque
vero dubitabit quisquam, quin in veram servitudinem venditus
sit atque omne ius publice agendi amiserit.

2. Simile quid inesse titulo B equidem statuerim, qui quam-
quam valde eum truncatum esse dolemus, aliter explicari non
potest. Agitur in priore tituli parte (= tab. A apud Newtonem)
de vendendis bonis hominum quorundam, qui, vel scelere com-
misso vel aere alieno obruti, in manus trium deorum pervene-
rant: Οἱ]δε ἐπρίαντο παρὰ τοῦ Ἀπόλλωνος κα[ὶ τῆς] Ἀθη-
ναίης καὶ Παρθένου γέας καὶ οἰκίας [τῶν] ὀφειλόντων τοῖς

¹⁾ Huschke, d. Recht des Nexum, 1846. v. Savigny, Vermischte Schriften II, p. 396 sqq.

²⁾ Newton, Discov. at Halic. p. 671. Hunc titulum liceat littera A, alterum, qui est in Newton, Essays p. 427 sqq. littera B significare. — Titulum de foedere icto inter Lygdamin et Halicarnassenses nuper edidit Dittenberger, Sylloge I, p. 11 sqq. — alterum ibid. p. 13 sqq.

θεοῖς τούτοις“. Qualis fuerit causa huius venditionis, eruere studuit cum Newton, qui *ἀσεβείας* punitos esse rerum possessores, tum Haussoullier, alter editor, qui illos, pecunia quadam credita, tempore constituto non soluta, bonorum venditione multatos esse putavit. Sed neque hanc neque illam sententiam ex ipso titulo ita demonstrari posse confitendum est, ut dubitandi non iam sit locus.

In altera parte tituli (tabb. B, C, D), quod iam initio ita mutili sunt versus, ut pro certo intellegere iam non liceat, utrum eiusdem generis continuerit rerum enumerationem, qualem priori parti inesse vidimus, an aliam quandam rerum notationem, admodum dolendum est. Neque hoc loco probandam esse Newtonis emendationem mihi persuasum est. Prioris versus nil superest nisi haec: „ . . . *ας τοῖς θεοῖς*“. Quae verba Newton, quamquam ambiguam esse suam emendationem ipse confitetur, pendere putat a voce *ἐβεβαίουν*, i. e. „auctores secundi sunt“. Quam viri docti opinionem probabilem non esse ex eo elucet, quod iam initio totius inscriptionis, A vs. 2 sqq. nominantur *βεβαιωτῆρες*, i. e. ipsi dei eorumque *νεοποῖαι*; neque ad demonstrandam sententiam ne unum quidem titulum afferre potuit, quo auctores secundos non una cum emptore, quem adiuvant, enumeratos, sed coniunctos ultimis tituli versibus appositos esse doceremur. Item nescio, qua ratione cum voce *ἐβεβαίουν* coniungi possit usitata secundae partis formula: e. gr. B v. 94: „*Υσσωλος Ἀρδ[υβ]έρο Σίληνὸν Ἀθηναγόρεω*“: sequitur pretium. Recte autem mihi Haussoullier „*ἐπρίαντο*“ restituisse videtur; neque dubito, quin B, 1 lacuna cum eo optime expleri possit hisce verbis: [*Οἶδε ἐπρίαντο τοὺς ὀφείλοντ*] *ας τοῖς θεοῖς*. Verbum *ἐπρίαντο* iam in parte A occurrisset scimus; quare, si probamus coniecturam viri docti Gallici, utraque tituli pars optime inter se convenit. Restat ut re ipsa, de qua agitur, comprobari posse Haussoullierii explicationem demonstramus. In utraque tituli parte sermo est de vendendis rebus, quod ex eo maxime apparet, quod eandem formulam in alterius atque prioris partis articulis adhiberi videmus e. g. A, 19: *Παράυσσωλος Παννάσσιο[ς γῆ]ν ἐν Οὐάσσῳι τὴν Ἀρλιώμου τοῦ Πύργωνος κτλ.* et B, 112: *Χαιρέδημος Ἀρχαγόρεω Μάτιν Κβώδεω κτλ.* Primum legimus emptoris nomen, casu nominativo positum, tum

rei emptae notionem, eamque casu accusativo, denique pretium ex pactione solutum. In eo haerendum non erit, quod homines venditari statuendum est, quippe cum Halicarnassi talem liberos virorum venditionem fieri potuisse ex Lygdamidis illo decreto demonstraverimus. Sed cum hic damnatos in verae servitudinis statum redactos esse viderimus, longe aliam rem esse in titulo B apparet, quoniam homines venditos in veram servitudinem non abductos esse ex eo probabile est, quod complures eorum non semel tantum, sed bis, ter, saepius idque non ab eodem viro emuntur. Neque unicuique emptori idem pretium solvendum fuisse pro eodem viro empto ex tituli verbis constat. Silenum quendam emit:

1. Ἀπολλόδωρ[ος Π]ολιτέω v. 93.
2. Ὑσσώλλος Ἀρδ[υβ]έρο v. 94.
3. Πανταλέων Κώγλο v. 96.
4. Πανταλέων Ἀρτέμωνος v. 98.

Haussoullerii de ea re opinioni, quam Dittenberger¹⁾ sequitur, ego quoque consentio: emptores emisse non ipsum virum, sed obligationem, ea ratione, ut quod ille usque ad venditionem debuerat deis, nunc emptoribus pensitaret.

Ambigua admodum atque difficillima est notarum numeralium explicatio, quas in altera tituli B parte pro eis positas esse videmus, quas inter omnes Graecos notas usitatasque fuisse ex ingenti titulorum numero satis constat. Nova autem planeque ignota sunt signa quae occurrunt inde a v. 75 usque ad finem, in quorum natura et origine ut Newton iam et Haussoullier operam frustra consumpserunt, ita ne me quidem, quamquam cum Graecas tum Lycicas inscriptiones perscrutatus sum, quidquam invenisse doleo, quo, cuius originis sit haec numerandi ratio et quomodo cum consueta omnibusque Graecis nota conveniret, definiri posset.

III. Servi.

Inter alia bona venditos esse servos docemur catalogis bonorum publicatorum a poletis confectis, quos ad Hermocopidarum causam pertinere probabile est, C. I. A. I, 277. Eodem pertinent Delphicae inscriptiones, quae sunt de manumittendis

¹⁾ Sylloge p. 15.

servis sub emptionis venditionis forma (cf. p. 5). De quibus Caillemeri probandam esse puto sententiam, qui antiquioribus temporibus veram exstitisse statuit venditionem inter deum, cui venditatur servus prioremque possessorem; tum in dedicandi formam magis magisque mutatam esse hanc manumittendi rationem, qualem in titulis huc spectantibus nunc videmus.

IV. Sacerdotia.

De natura huius emptionis venditionis generis primo dicendum est, simillimam eam fuisse emphyteuseos, quippe cum is qui emerat aliquod sacerdotium, ut titulis ipsis docemur, per totam vitam sacrum munus obtinuerit; neque existimo, emptorem alteri vendere potuisse sacerdotium. — Ad explicandam hanc rem scriptorum locus exstat unus, Dionysii Halicarnassensis¹⁾, quo apud veteres Graecos consuetam fuisse sacerdotiorum venditionem intellegimus, quam apud Christianos posterioris temporis „simoniam“ appellatam esse scimus. Sed quod deerant eius rei alia documenta, non magni ponderis existimabatur haec Dionysii mentio diuque neglecta est, donec plures in lucem provenerunt tituli lapidibus insculpti, quibus latius patuisse hanc consuetudinem inter Graecos docemur, quam usque adhuc putabant viri docti. Qua de re nuper breviter dixit Dittenberger²⁾. Quattuor nunc tituli de sacerdotiorum venditione exstant, quos initio totius commentationis sub No. 17—20 enumeravi (p. 5).

Duplicis generis esse quattuor hos titulos statuendum est. 17, 19, 20 unius solum sacerdotii venditionem continent, 18 autem multorum numinum enumerationem, quorum sacra munera novo sacerdoti emptione venditione mandantur. Atque prioris generis titulis insculpta est accurata condicionum descriptio, quae observandae erant novo sacerdoti; Erythrens autem titulus de condicionibus emendi atque de emolumentis quae capere potest emptor ex munere empto, omnino nil docet.

Ac primum quidem praecepta, quae in titulis modo commemoratis perscripta sunt, brevi in conspectum ponam.

1. No. 17. Initio tituli huius Halicarnassensis nominari

¹⁾ *Ρωμ. ἀρχ.* II, 21.

²⁾ *Hermes* XVI, p. 165 sqq.

magistratus pactionemque fieri secundum populiscitum videlicet: v. 3: „ἔδοξεν [τῆι βουλ]ῆι καὶ τῶι δ[ή]μωι, γνώμη πρυτάνεων“ κτλ., sequitur ipsum populiscitum quo instituitur, ut Minervae Pergaeae sacerdotium venditetur, idque „ἐπὶ ζωῆς τῆς αὐτῆς“ (sc. ιερείας). Frustra nomen requirimus emptoris, idque in fine totius inscriptionis positum fuisse ex analogia tituli No. 19 v. 30, cum ultimi amissi sint versus, verisimillimum est. Ex femininis formis e. g. v. 7: „ἡδε πριαμένη“ aliis, mulierem emisse sacerdotium concludimus. Natura igitur huius tituli haec fuit: vendendum publice pronuntiatur Minervae sacerdotium; adduntur condiciones, quibus emptio fieret quaeque observandae essent emptori in novo munere; enumerantur denique emolumenta, quae existunt sacerdoti ex uno quoque sacrificio (v. 9).

= 1. 1. 2. No. 19. Aesculapii quoque sacerdotium ante pactionem vendendum promulgatum esse ex primis versibus quamvis valde truncatis elucet. Facto ipso contractu promulgationis instrumento ascripta sunt nomen emptoris, pretiique cum vectigalibus notio: v. 28—30: „τιμ]ὰ ἱερωτείας σὺν ἑκατοστᾷ κ[αὶ τριακο]στᾷ δραχμαὶ [XI [. . κον]τα ὀκτώ, τέτορες ὀβολοί. Ἐπρια[το Σαπα]τρὶς Μηνίου“.

3. No. 20. Nimis mutilus est titulus, quam ut quae scripta fuerint omnia cognoscere possimus. Hic quoque non deest emolumentorum enumeratio, quae duodecim deorum sacerdoti ex empto munere existunt.

4. No. 18. Sed transeamus ad titulum Erythris repertum, qui longe maioris ponderis est quam tres illi tituli, de quibus verba iam fecimus, ad cognoscendas eas, quae de sacerdotiorum venditione apud Graecos valebant institutiones, cum non solum satis bene servatus, sed etiam eis, quae continet praeceptis nova nonnulla ad res sacras pertinentia nos doceat. — Aliud pactionem promulgandi genus hunc titulum continere iam dictum est; deest populiscitum, enumerantur magistratus, quibus, quo tempore facta est emptio venditio indicitur; emptores nominantur, pretium, eponion, testes.

Quam ob causam instituta sit haec emptio venditio, pro certo dici nequit; nescio num existimare liceat, in certum quod-

dam tempus sacerdotibus mandata fuisse munera¹⁾; ego certe nescire me confiteor, quo alio modo fieri potuerit, quod uno fere tempore tam multa sacerdotia in aliorum manus transeunt. Addendum est breviter, sacerdotiorum numerum, quae eodem tempore venditantur, admodum variare; C, 45 Veneris, cui est cognomen *Πυθόχρηστος* munus solum venit, B, 13 contra 16 sacerdotia venditari videmus eodem curante magistratu.

De numinibus quorum in titulo mentio fit, cum Rayet satis commentatus sit, denuo verba facere supervacaneum est. Non unum quemque deum suum habuisse sacerdotem ex eo elucet, quod pretii soluti mentionem nonnumquam post complurium deorum nomina positam esse videmus. Haec addam exempla A, 18: *Ἀπόλλων Κανκασεὺς καὶ Ἄρτεμις Κανκασίς*. A, 19: *Ἀπόλλων Λυκεῖος, Ἀπόλλων Δήλιος, Ποταμὸς Ἀλέων*. A, 25: *Ζεὺς Φήμιος καὶ Ἀθηνᾶ Φημία*. B, 19: *Ζεὺς Ἀποτροπαῖος, Ἀθηνᾶ Ἀποτροπαία* etc. B, 27: *Ἀχιλλεὺς, Θέτις, Νηρεΐδαι*. Hoc solum constat, eos deos, quibus eadem erant cognomina, unum habuisse sacerdotem; idem valuisse apparet, ubi agitur de heroibus, Achillem nomino, qui una cum Thetide matre Ne-reidibusque cultus est.

Non agere titulum de usitati generis emptione venditione, ex eo intellegitur, quod ut brevi dicam, nonnulla sacerdotia non semel modo sed bis venditantur. Quomodo explicanda sit haec res nova, nunc quaerendum est.

Rayet quidem, quamquam accurate exponere studuit rem ambiguam, non ita probare potuit suam sententiam, ut mihi quidem persuaserit, sed me quoque melius explicare materiam difficillimam non posse confiteor.

Termini technici ad emptionem venditionem spectantes hi sunt.

1. *ἀγοράω, πιπράσκω, πωλέω* (simplex emptio).
2. *ἐπαγοράω, ἐπιπιπράσκω, ἐπιπωλέω*.
3. *διασυνίστημι, διασύστασις*, quorum verborum 2. et 3. omnino ignota hoc titulo primum occurrunt.

¹⁾ Dittenberger Syll. II, p. 536, not. 3 omnia sacerdotia ad vitae tempus veniisse putat, omisso solo Aristomenis Metrodori C, v. 40 sqq. quod hereditarium munus fuisse existimat.

Et Rayeti quidem de his opinio haec est:

1. *πρᾶσις* tum fit, cum vel morte prioris possessoris vel alia qualibet causa vacat sacerdotium.

2. *ἐπίπρασσις* tum instituitur, si quis, quod ipse emit sacerdotium alteri alicui vendit. B, 58: *Διὸς Ἐλε[υθ]ερίου, εἰ μὲν ἔστιν ἱερεὺς, ἐπιπωλεῖται, εἰ δὲ μὴ ἔστιμ, πωλεῖται*: quorum verborum hanc interpretationem profert Rayet: „Ignotum est, num quis Iovis exstet sacerdos; si quid adest, pretium, quod novo emptori solvendum est, accipito; si non iam exstitit, pecuniam habeto respublica“. At ita intellegi nequit, cur in re tam singulari idque in titulo satis diligenter conscripto, ommissa sint priorum possessorum nomina, quae e. g. in simili titulo Tenio C. I. G. 2338 omnia in uno quoque articulo enumerata sunt. Item nescio, num quis sacerdos, quod modo emit sacrum munus alteri vendere potuerit; maxime autem offendit, quod pretium ex epiprasi solutum semper minus est, quam pendenda ex prasi pecunia. Mirum enim esse nemo negabit, quod homo quidam primum rem emit pretio 400 drachmarum, tum idque paulo post, vendidit 105^{dr}, quale habemus in sacerdotio deorum Procylicorum, C, 17 et 22. Eadem res, quod minus semper est pretium ex epiprasi ductum quam ex prasi¹⁾, impedit, quominus auctione venditata esse sacerdotia existimemus, cuius prima emptio („erstes Angebot“) *πρᾶσις*, altera autem („zweites oder Schluss-Angebot“) *ἐπίπρασσις* esset; qua explicatione, nisi pretii notiones impedirent, perspicuus fieret omnis titulus. — Ut nunc res se habet, dolendum est, quod ipsis tituli verbis nil inest, quo propius ad veritatem admovere possimus rem difficilem satisque ambiguam.

Quo tempore sacra munera per emptionem venditionem novis mandari poterant sacerdotibus, mulieres quoque, quas sui

1) <i>Ζεὺς καὶ Ἀθηνᾶ Ἀποτροπ</i>	B, 19	pret.	50 dr	C, 1	pret.	150 dr
<i>Ἥρα Τελεία</i>	C, 14	„	500 dr	C, 21	„	251 dr
<i>Ἀφροδίτη Πυθόχρηστος</i>	B, 25	„	300 dr	C, 47	„	130 dr
<i>Ἑρμῆς Ἀγοραῖος</i>	B, 43	„	4610 dr	B, 53	„	4600 dr
<i>Κορύβαντες κτλ.</i>	B, 46	„	511 dr	B, 56	„	171 dr
<i>Θεοὶ Προκύκλιοι</i>	C, 17	„	400 dr	C, 22	„	105 dr

Semel modo, idque in vendendo Iovis et Minervae sacerdotio pecunia ex prasi minoris valet quam ex epiprasi.

iuris non fuisse supra demonstravimus, emere potuisse credas, imprimis ubi agebatur de vendendis dearum sacerdotiis. Quare mirum certe est, quod in nostro titulo, ubi tam multa dearum sacerdotia veniunt, inter tot emptores semel modo feminam invenimus, quae Veneris quoddam sacerdotium Apollonio filio „*διασυνίστησιν*“, i. e. concedit. Hanc enim esse huius verbi rationem satis probavit Rayet l. c. p. 122 sqq. Quam ob rem omnia dearum sacerdotia a viris solum emanant, me nescire confitendum est; utrum viri, qui dearum haec munera sacra emunt, mulierum loco functi sint, an, quae in pactione inierant officia ipsi exsequi debuerint, pro certo dici nequit. Nam quamquam negandum non est, habuisse deas viros sacerdotes, qui sacra obibant munera, tamen ne illud quidem verisimile videtur, Erythris viros solum sacerdotes fuisse atque feminas non habuisse obtinendi sacerdotium facultatem.

Valueritne in ipsa Graecia usus vendendorum sacerdotiorum, propterea decerni nequit, quod omnes de ea materia tituli in Asia vel in regionibus Asiae finitimis in lucem prolati sunt.

Eas solum res emptione venditione in alterius possessionem transmitti potuisse, quae omnino atque sine dubio venditoris erant iam initio huius paragraphi commemoratum est. Restat, ut hoc loco mentio fiat tituli apud Le Bas No. 415. Agitur de embasi bonorum quorundam, quae ex Iatroclis possessione in manus fideiussorum Iovis, cui est nomen Osogoa, transierunt. Atque omnia sua bona vendit Iatrocles, quod quidem formula *οὐθὲν ὑπολειπομένου ἑαυτῶι ἐν τοῖς τόποις τούτοις* docemur; excepta autem sunt ea bona, de quibus controversia orta erat, utrum Iatrocles an alter quidam possidendi ius haberet: „*πλὴν τῶν διαμφισβητούμενων [π]ρὸς Μελάνθιον Πόλλιος*“. Patet igitur, de parte bonorum Iatrocli litem fuisse contra Melanthium nondum diiudicatam. „*ἐὰν δὲ κριθῆ καὶ τὰ διαμφισβητούμενα κατὰ Ἰατροκλῆν, ἔσονται καὶ ταῦτα ἐμβεβατευμένοι κατὰ τήνδε τὴν ἔμβασιν*“ κτλ. Lis igitur, si iudicata erit secundum Iatroclē, i. e., si decretum erit a iudicibus, ad Melanthium non pertinere illa bona, haec quoque in dei potestatem transeunto, idque hoc eodem decreto, quo venditati sunt reliqui fundi; quam formulam: „*ἔσονται καὶ*

ταῦτα ἐμβεβατευμένοι κυρίως κατὰ τήνδε τὴν ἔμβασιν“
 propterea additam esse credas, ne opus esset novo titulo, si
 bona, de quibus iam lis est, Iovi traderentur. Sed quid facturae
 sint partes, si contra Iatroblem diiudicata fuerit causa, ex tituli
 versibus intellegi nequit.

Titulus Le Bas No. 414, quamquam mutila sunt verba,
 eadem continuit; vs. 10: „ἐὰν δὲ κριθῆι τὰ διαμφισβητ[ούμενα]“;
 neque enim, quin a Waddingtonio ex analogia tituli 415 recte
 emendati atque restituti sint versus, quisquam dubitabit.

§ 4.

Quando fuerit pactio perfecta.

Primum quidem, cum titulis de hac materia pauca modo
 insint, praecepta, quae apud scriptores perscripta sunt, brevi in
 conspectu ponam. Formas atque caeremonias, de quibus Theo-
 phrastus¹⁾ verba facit, non ad perfectionem contractus spectare
 sed ad transitum possessionis in emptoris manus („εἰς τὴν
 κτῆσιν“) pertinere Caillemer l. c. (cap. I et II) contra Hof-
 mannum²⁾ demonstrasse videtur. Atque recte puto Caillemerum
 suspicatum esse, emptionem venditionem, sicut Romae,
 mutuo solum partium consensu initam esse. Ad
 transitum rei vendendae in novi possessoris po-
 testatem formas quasdam exstitisse demonstrat,
 quas cum Theophrasti verbis tum inscriptionibus admodum
 varias fuisse intellegimus. De ineunda legitima pactione,
 theoreticam dico emptionis venditionis partem, si quis doceri
 velit, inspicere licet Caillemeri libelli cap. I et II et Hofmanni
 illa, quae exposuit p. 88 sqq. — Neque firmam de his rebus
 regulam apud veteres Graecos exstitisse ex eo apparet, quod
 Theophrastus, qui leges servavit Pittaci Mitylenaei, Athenien-
 sium, Cyzicenorum, Thurinorum, Aeniorum, Charondae, Pla-
 tonis, plane diversa fuisse de pacti perfectione praecepta de-
 monstrat. Sed transeamus ad ea, quae philosophus ipse affert:
 „Χαρώνδας καὶ Πλάτων· οὗτοι γὰρ παραχρῆμα κελεύουσι
 δίδόναι καὶ λαμβάνειν, ἐὰν δέ τις πιστεύσῃ, μὴ εἶναι

¹⁾ Hofmann l. c. p. 76 sqq. Thalheim l. c. p. 128 sqq.

²⁾ l. c. p. 47, 56, 60, 106.

δίχην“ κτλ. Charondam Platonemque postulasse docemur, ut statim ea fierent, quae utraque pars se facturam esse in pactione promiserat. Si quis venditor non statim accepisset pretium, non licuit ei causam intendere, qua sibi pecuniam ascisceret. Pretium quidem *παραχρῆμα* dari potuit in pactionibus de rebus exigui ponderis; sed ubi agebatur de maiore pecunia solvenda, imprimis de vendendis rebus immobilibus, totam pecuniae summam statim pensitatum esse verisimile non est. Quid opus fuerit testibus, quid iureiurando, nisi ut, quae pollicitae erant partes, se stricte observaturas esse confirmarent? Non igitur errabimus, si in omnibus eis titulis, quibus pactionem initam esse coram testibus intellegimus, pretium non statim pensitatum esse censemus. Immo certe Charondae Platonisque illud non ad legem omnium Graecorum civitatum communem spectat; num in una vel altera urbe talis valuerit lex, discerni plane nequit.

Theophrastus l. c. caeremoniarum quarundam mentionem facit, quibus opus erat ad rite perficiendam emptionem venditionem:

I. *ὅταν ἡ τιμὴ δοθῆ* „*εἰς κτῆσιν*“ firma rataque est emptio, id est plane perfecta soluto pretio. Sed

II. *καὶ (ὅταν) τὰ ἐκ τῶν νόμων ποιήσωσι*; formulae igitur vel lege vel consuetudine postulatae observandae sunt; quarum enumerantur:

a) *ἀναγραφὴ*, „promulgatio“. Qualis haec fuerit promulgatio rerum vendendarum, supra iam expositum est.

b) *ὄρκος*. Veteres Graecos ac Romanos saepissime iureiurando usos et abusos esse scriptorum locis satis notum est; nemo igitur mirabitur, quod in emptionis venditionis pactionibus *ὄρκον* postulatum esse cum Theophrasti testimonio tum ipsis inscriptionibus docemur. Et ille quidem Aeniorum legibus ius iurandum postulatum esse tradit, idque pro diversis rebus diversis locis dandum: „*κελεύουσι γὰρ, ἐὰν μὲν τις οἰκίαν πρῆνται, θύειν ἐπὶ τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Ἐπικωμαίου, ἐὰν δὲ χωρίον ἐπὶ τῆς κόμης ἢ αὐτὸς οἰκεῖ, καὶ ὁμνύειν ἐναντίον τῆς ἀρχῆς . . ., τὸν δὲ μὴ οἰκοῦντα ἐν ἄστει θύειν τὸν ὄρκον ἐπὶ τοῦ Διὸς τοῦ Ἀγοραίου . . . ἄνευ δὲ τούτων μὴ ἐγγράφειν τὴν ἀρχήν· ἅμα καὶ ἐν τῷ ὄρκῳ προσ-*

ορκίζειν αὐτήν (scil. τὴν ἀρχήν), ἐὰν μὴ ὀμνύωσι, μηδὲ ἐγγράψειν τὴν ὄνην“. Si quae pars contrahentium, quod legibus institutum erat iusiurandum publice dare nolebat, ne inscribatur pactio prohibento magistratus. Sequuntur illa: „κυρία δὲ ἡ ὄνη . . . ὅταν . . . τὰ ἐκ τῶν νόμων ποιήσωσιν, οἷον ἀναγραφὴν ἢ ὄρκον“ κτλ. Apud Aenios igitur haec valebat lex teste Theophrasto: Si quis in urbe, ubi ipse habitat, domum vel terram emere vult, in ara deorum lege designatorum iusiurandum facito, quo se inire pactionem „δικαίως μηδὲν συγκακουροῦντα μήτε τέχνη μήτε μηχανῆ μηδεμιᾶ“ publice confirmet; idque fit coram magistratibus tribusque incolis, qui testium munus obtinent. Utramque partem praebuisse iusiurandum verba docent: „τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ τὸν πωλοῦντα πωλεῖν ἀδόλως“. Quam legem in unaquaque de emptione venditione pactione valuisse illis demonstratur: „ἀνευ δὲ τούτων“ κτλ.

In titulis de emptione venditione his iusiurandum datum esse videmus:

1. Wescher et Foucart No. 407 solum praebet exemplum, quo apud Delphos quoque iusiurandum datum esse docemur, duasque partes iurasse coram sacerdotibus testibusque. Eas autem partes non fuisse venditorem et emptorem, sicut Aeniorum postulabatur⁷ praeceptis, sed venditorem et mancipium, de quo inita est pactione, ex ipso elucet titulo. Condiciones enim imponuntur cum venditori tum servo manumittendo; ille, se servum neque iniuria affecturum („μήτε αὐτὸν ἀδικήσειν Ξένωνα καὶ Πειθόλαον“) neque alteri cuiquam eum concessurum esse promittit, hic, se usque ad mortem Menarchi in eius potestate remansurum esse iureiurando affirmat. Ad explicandam hanc rationem in memoriam revocemus necesse est, quae de servorum manumissione sub forma emptionis venditionis supra dicta sunt. — Tituli verba haec sunt vs. 17 sqq.: „Ὁμοσάντω δὲ Μέναρχος (venditor) ἐναντίον τῶν ἱερέων τὸν νόμιμον ὄρκον παρὰ τὸν Ἀπόλλω μήτε αὐτὸν | ἀδικήσειν Ξένωνα μηδὲ Πειθολάον ἄς κα ζῆ μηδὲ ἄλλωι ἐπιτρέψειν“ κτλ. vs. 21 sqq.: „τὸν αὐτὸν δὲ ὄρκον ὀμοσάντω Ξένων καὶ Πειθόλαος (servi liberati) Μενάρχοι παραμένειν παρὰ Μέναρχον ἐν τέ κα ζωῆ . . . δουλεύοντες“ κτλ. vs. 26: „Ὁμοσαν

ποτὶ τῶι βωμῶι καὶ ἀντᾶι ἀμέραι ἐναντὶ τῶν ἱερέων καὶ τῶμ | μαρτύρων“. Quoniam legimus vs. 17: „τὸν νόμιμον ὄρκον“, non rarum fuisse iusiurandum in manumissione servorum verisimile est, quamquam me alios titulos hanc sententiam comprobantes non invenisse confiteor.

2. Ignotum non fuisse neque inusitatum iusiurandum in servorum manumissione sub emptionis venditionis forma, ei quoque tituli demonstrant, quos Tithoreae repertos Ulrich edidit¹⁾, quamquam iurisiurandi cuiusdam mentionem non fieri apertis verbis negandum non est. Sed quae Ulrich ipse profert: „der Ausdruck χρῆσαι τὰν χέρα in 2 und 5 scheint einen feierlichen Handschlag zu bedeuten“, satis probabilia esse puto, neque dubito, quin huic caeremoniae eadem fuerit vis, quam in Delphico illo instrumento ὄρκον habuisse vidimus.

3. Halicarnassi quoque sine dubio notum erat iusiurandum ad perficiendum contractum. Titulo, quem edidit Newton (Essays p. 433 sqq.) de ea re haec insunt vs. 5 sqq.: „συμβεβαιοῦν τοὺς νεωποίας καὶ ἐξορκίσεσθαι κατὰ ταῦτα“ κτλ. νεωποῖαι deorum in primis versibus nominatorum vices obeunt, qua de re infra p. 40 ff. sermo erit. Fortasse quis ex hoc titulo colligat, venditorem solum ὄρκον praebuisse, quo confirmabat, se contractum inire ἀδόλως, — altera pars autem quod iurasse non videtur, certe mirandum est.

Etiam in emphyteuticis pactionibus non deerant ὄρκια, qua de re si quis doceri velit, Euleri libellum de locatiof. inductione p. 5 inspiciat.

c) . . . τοῖς γείτοσιν τὸ γιγνόμενον. Apud Thurinos in pactione ineunda vicinos partes quasdam egisse a solo Theophrasto docemur; quod institutum cum plane singulare sit, in titulis nil simile inveniri non mirum est. Theophrasti verba haec sunt: „Οἱ δὲ Θουριακοὶ . . . διδόναι . . . κελεύουσιν κοινῇ τῶν γειτόνων τῶν ἐγγυτάτω τρισὶ νόμισμά τι βραχὺ μνήμης ἕνεκα καὶ μαρτυρίας“. Quid sibi velint vicini, hisce exponitur verbis: „ἀναγκαῖον δηλονότι . . . τοῖς δὲ τοὺς γείτονας (ὑπευθύνους ποιῆν), ἐὰν μὴ λάβωσιν ἢ δις παρὰ τοῦ αὐτοῦ λάβωσιν ἢ ἔχοντες μὴ λέγωσι τὸν ἐωνημένον“.

¹⁾ N. rh. Mus. II, p. 544, 6 tituli.

Vicinos igitur ea solum condicione testari potuisse apparet, ut acceperint nummum lege postulatum; *ὑπεύθυνοι* fiunt, si bis acceperunt symbolum in una pactione, aut accepto symbolo testari recusant qualibet de causa.

III. *Ἀρραβών*; *arrha*, utrum ad perficiendam emptionem venditionem opus fuerit, an ea usae sint partes quasi symbolo factae iam pactionis, controversia exstitit inter viros doctos. Neque multa de hac re difficili veteres docent; Theophrastus quidem dicit: „*κυρία δὲ ἡ ὄνη . . . εἰς δὲ τὴν παράδοσιν καὶ εἰς αὐτὸ τὸ πωλεῖν, ὅταν ἀρραβῶνα λάβῃ*. Sed ex ipsis philosophi verbis colligamus licet, non ubique de *arrha* easdem valuisse leges: *τάττουσι δὲ τινες καὶ τὸν ἀρραβῶνα πόσον δεῖ διδόναι, πρὸς τὸ πλῆθος τῆς τιμῆς μερίζοντες· ἄτοπον γὰρ, εἰ δακτύλιον δῶ τῶν δέκα ταλάντων*“. Verbo „*τινες*“ intellegimus, in nonnullis modo civitatibus, quas ignotas esse dolendum est, pro certo pretio solvendo *arrham* datam esse pro maiore amplioem, pro minore exiguam; sed fueritne *arrha* legibus postulata apud omnes Graecos, demonstrari plane nequit.¹⁾ Atheniensibus non ignotum fuisse *ἀρραβῶνα* ex comicorum locis cognoscimus quos servavit Pollux IX, 71. Veteres, quae de *arrha* afferunt²⁾, ad explicandam rem nil valent; Suidae verba huc referenda esse puto, quoniam satis definire videntur *arrhae* naturam: „*ἀρραβών· ἡ ἐν ταῖς ὄναις περὶ τοῦ ὄνουμένου δεδομένη πρώτη καταβολὴ ὑπὲρ ἀσφαλείας*“.³⁾ *Arrha* igitur est prima pars pretii, statim ab emptore soluta, idque *ὑπὲρ ἀσφαλείας*. Quod de gravissima hac re inscriptionibus nihil inest, quo diserte de usu *arrhae* ac natura doceamur, valde dolendum est.⁴⁾

De *arrhae* usu accurate disseruit Hofmann⁵⁾, sed quae praecepit, non plane probanda esse arbitror. Recte quidem demon-

¹⁾ Isaeus p. 71, 20. Aristot. Pol. I, 11.

²⁾ cf. etiam Theophrasti verba: „*σχεδὸν γὰρ οἱ πολλοὶ νομοθετοῦσιν*“.

³⁾ Similia quaedam legimus in Etymol. Magn. s. v. *ἀρραβών*.

⁴⁾ Solo in titulo C. I. G. II, 2058 vs. 131 *arrhae* mentio fit; sed quoniam ad explicandam rem nil valet, hoc loco negligenda esse verba existimo.

⁵⁾ Beiträge p. 104 sqq.

strat, quantum hac re inter se differant Graecorum Romanorumque leges. Romae „emptio venditio contrahitur, cum de pretio convenerit, quamvis . . . ne arrha quidem data fuerit“¹⁾; Theophrastus contra docet, ratam esse pactionem in plerisque Graeciae civitatibus („σχεδὸν γὰρ οἱ πολλοὶ νομοθετοῦσιν“), „ὅταν ἀρραβῶνα λάβῃ“. Sed contra Hofmannum recte Caillemmer demonstrasse videtur, non necessariam fuisse arrham ad perficiendum contractum.²⁾ Iure enim quaerit, cur opus fuerit arrha, facta iam promulgatione publica variisque observatis formis, quas leges interdum postulasse constat. Neque necessariam fuisse arrham ex eo forte colligas, quod omissa inscriptione C. I. G. II, 2058 ne in uno quidem titulo eius fiat mentio, quamquam concedendum est, testibus aliis rebus in inscriptione enumeratis non iam opus fuisse ἀρραβῶνος mentione; immo, ubi legibus postulata erat arrha, eodem tempore, quo inita est pactio, eam datam esse verisimile est. Platner³⁾ quoque existimat, arrham usitatam („üblich“) solum fuisse perfectionis conditionem.

Illud apparet, arrham, quae Suida teste prima pretii erat pensio, in eis modo emptionis venditionis contractibus datam esse, ubi pretium non totum statim pensitatum est.

Praeter has condiciones, quas Theophrasto teste valuisse vidimus in perfectione pactionis, in titulis quibusdam inveni

IV. Ἐμβασιν. Quaerendum est, utrum usitata fuerit solemnis traditio rei emptae in manus novi possessoris, necne. Apud scriptores nihil de ea inveni; sed non defuisse eiusmodi institutiones ex titulis quibusdam intellegimus. Fröhner l. c. No. 49, C v. 16 sqq.: „καὶ τοῦδε τοῦ ψηφίσματος τὸ ἀντιγραφὸν . . . [ἀναθέντων] . . . τῆς δὲ ὀνῆς καὶ τῆς ἐμβάσεως“. Item Le Bas III, 415 v. 12: „ἔσονται κατὰ ταῦτὰ ἐμβεβατευμένοι κυρίως κατὰ τήνδε τὴν ἔμβασιν ἐνεβίβασεν δὲ αὐτοὺς ἐναντίον μαρτύρων“ κτλ. Totum titulum Le Bas III, 415 embaseos instrumentum esse, Waddington l. c. recte vidit. In Mylasensi quoque titulo Bull. de corr.

¹⁾ Instit. Justin. III, 23.

²⁾ Rev. de legislat. 1870/1, p. 661 sqq.

³⁾ l. c. II, p. 340.

hellén. V, p. 112 v. 16 legimus: „τὸν τῆς ὄντης καὶ τῆς ἐμ-
βάσεως . . . χρηματισμόν“ κτλ. — Sed qualis fuerit usus in
adhibenda hac caeremonia, quae sollemnis quaedam fuisse vi-
detur, discerni nequit, quare sufficiat, mentionem eius fecisse.

Simile quid Delphis consuetum fuisse putem, quamquam
vox „ἐμβασίς“ titulis Delphicae originis non inest. Dubitandum
autem non est, quin formula „ταῦτα (i. e. servi manumissio)
δὲ ἐγένετο ἀναμέσον τοῦ ναοῦ καὶ τοῦ βωμοῦ“ (e. gr. Wescher
et Foucart No. 345, 376, 384, 407 etc.) ad caeremonias quasdam
solemnes revocanda sit, quibus servi emancipatio instituitur
neque dubito, quin ex hac formula colligere liceat, etiam apud
Delphos notam fuisse embasin.

§ 5.

Magistratus qui universitatum vices obeunt.

Omnibus fere in emptionis venditionis pactionibus nobis
servatis, quoniam altera pars universitas quaedam est, eos ma-
gistratus personasque, qui universitatum vices obeunt, breviter
enumerare liceat.

Athenis, qualis fuerit consuetudo, cum ex titulis satis
intellegere non possimus, ex eis, quae scriptores veteres de ea
re docent, indagandum est. A Boeckhio ¹⁾ discimus, poletas
fuisse magistratum, cui mandata erat cura publice promulgandi
ea bona („δημιόπρατα“), quae civitas vendenda sibi proposuerat.
Cuius generis qui supersunt tituli, p. 8 No. 16 singuli enume-
rati sunt. Sicut apud veteres iam exstitisse scimus legum
collectanea ex lapidibus conscriptarum, poletarum quoque tabu-
larum ut ita dicam corpus non defuisse, ex Pollucis et Athenaei
verbis intellegitur.²⁾

Kirchhoff C. I. A. I, p. 158 haec dicit: „Videtur auri
certum pondus operi faciendo emptum esse a curatoribus“. Utrum
ad Minervae statuam a Phidia elaborandam pertineat an ad aliud
eius generis opus, incertum est neque discerni potest. ταμίαι
emptionem facere iubentur v. 6: λῆμμα παρὰ
ταμιῶν ἐκ πόλεως; v. 9: ταμίαι δὲ κτλ. Sequuntur decem

¹⁾ Staatshaushaltung I p. 278 sqq.

²⁾ Poll. X, 36. Athen. XI, 476^e.

virorum nomina; de tamiarum munere cf. Boeckh, Staatshsh. I, p. 217 sqq.

Delphis antiquiore aetate quamquam servorum manumissionem veram emptionis venditionis pactionem fuisse verisimile est, posterioribus tamen temporibus in dedicationis formam magis magisque mutabatur. Quare factum est, ut in titulis eorum magistratum nomina, qui universitatis, i. e. Apollinis templi, vices olim obibant, non iam inveniantur. Unusquisque titulus testium quendam continet numerum, qui firmis legibus constitutus fuisse non videtur propter magnam numerorum discrepantiam; inter quos testes, quoniam semper fere distinguuntur cum *ἱερεῖς* et *ἄρχοντες*, tum *ἰδιῶται*, credamus forte licet, sacerdotes Apollinis loco olim functos esse, cives autem testium solum munus obtinuisse, quorum utrumque munus officiumque in unum postea concidisse verisimile mihi videtur.

De Mylasensium usu tres agunt tituli Bull. d. corr. hell. V, p. 108 sqq. A, B, C. Non dubito, quin eisdem viris mandata fuerit cum emptio venditio tum emphyteusis, i. e. *τοῖς κτηματά ναις*, qui eliguntur secundum populiscitum titulis inscriptum ex civium numero (Le Bas No. 415 v. 4). Item atque in his titulis *κτηματώνας* curavisse pactionem ex titulis Le Bas III 414 et 415 docemur. Locationis conductionis mercedem *τοῖς τῆς φυλῆς ταμίαις* solvendam fuisse ex titulo Bull. l. c. A v. 17 apparet.

Olymenses eandem fere locandi conducendi rationem secutos esse quam Mylasenses, Euler demonstravit (l. c. p. 9), neque dubito, quin utriusque urbis etiam in emptione venditione consuetudo fuerit simillima: Fröhner l. c. No. 49: Sacra quadam pecunia bona emuntur per viros electos e civium numero v. 4: „*δεδοχθαι τῶι δήμωι ἐλέσθαι ἄνδρας ἐκ τοῦ δήμου*“, qui, si pecunia in templi aerario deposita non sufficiat, ab argentariis sumant „*ὅσον ἂν ἐλλείπηι εἰς τὴν τιμὴν*“. Ex verbis „*ἠιρέθησαν κτηματῶναι, οἱ δὲ αὐτοὶ καὶ μισθωταί*“ plane elucet, emphyteusin quoque eos curavisse, quod Mylasis in usu fuisse iam vidimus. Etiam in titulo Le Bas III, 338 nominantur „*κτηματῶναι εἰρημένοι ὑπὸ τοῦ δήμου*“. De voce ipsa usque adhuc plane ignota cf. adnotationes ad tit. Le Bas No. 338.

Apud Halicarnassios (Newton, Ess. p. 427 sqq.) οἱ

νεωποῖαι, deorum vices obeunt, quorum sub auspiciis emptionem venditionem factam esse initio totius tituli docemur: „βεβαιοῦν τοὺς θεοὺς . . . συμβεβαιοῦν δὲ τοὺς νεωποίας“. Eiusdem nominis magistratus saepius in Ionia invenimus, neque desunt de ea re tituli.¹⁾ — Utrum etiam in vendendo Dianae Pergaeae sacerdotio C. I. G. II, 2656 *νεωποίης* alterius partis vices obierit necne, ex titulo intellegi nequit; sed probabile videtur propter prioris tituli analogiam.

Metropolitanus titulus (*Μουσ. Συμφων. II, 19*) quamquam valde mutilus quattuor modo versus continet, neglegendus tamen non visus est, cum magistratus cuiusdam mentio fiat: „τῆς βουλῆς“. Sed utrum *βουλῆ* in pactione ipsa functa sit, an vectigalia solum ex emptione venditione sumenda acceperit, dicere non possum.

Iasensis titulus (*Bull. de corr. hell. V, p. 492*). Magnum magistratum earumque personarum, quae partes adiuvare solebant, numerum praebet. Civitatis loco, quae vendit bona, praeter ἄρχοντας, ταμίαις, ἀστυνόμους, συνηγόρους, sacerdotes Διὸς μεγίστου 34 viri „οἶδε ἀπὸ φυλῆς“ funguntur (v. 18 sqq.), id est eius phylae cives, cuius tum erat prohedria. Neque deest eponymus, στεφανηφόρος, cuius nomen ex aliis quoque eiusdem originis titulis cognitum habemus, quem quidem Apollinis simul loco functum esse ex compluribus lapidibus constat.

De Graecorum in insulis habitantium usu quae scimus haec sunt:

Chios. Röhl, *inscr. antiquiss. No. 381*. Chii pronuntiant, se vendituros esse regionem Dophitidem in complures partes divisam, quam venditionem mandatam fuisse „τοῖς πεντεκαίδεκα“ ex tituli versibus intellegitur hisce: A, 18; B, 1, 2.

Tenos. C. I. G. II, 2338. Omnes fere pactiones, quoniam inter privatos fiunt, nomina cum emptoris tum venditoris titulo inscribere suffecit. Sed nonnumquam phyla quaedam bona vendit, quale legimus v. 36: παρ]ὰ Καλλιφῶντος καὶ τῆς [φυλῆ]ς [τῆ]ς Ἡρακλειδῶν [ἐπ]ρίατο τὴν οἰκίαν κτλ. v. 40:

¹⁾ Halicarn: C. I. G. II, 453. Jasos: ib. 2671, v. 25. 2673^a, v. 4. Aphrodis: ib. 2749, v. 10. Magnesia: ib. 2916, v. 6. Smyrna: ib. 3358. — Ephesus: Dittenberger, *Sylloge* 134, 1; 344, 21.

φυλῆς Ἡρακλει[δῶν πα]ρὰ κτλ. v. 66: Ἡρακλειδῶν καὶ
φυλῆς Ἡρακλειδῶν ἐπρίατο κτλ. Qui magistratus Heracli-
darum phylae vices obierint, ex titulo non discimus.

§ 6.

Personae quae partes adiuvant.

Apud omnes fere gentes, quae legibus accurate conscriptis utebantur, non partes modo, inter quas fit pactio, egisse constat, sed aliis quoque opus fuisse personis, quae cum pactum ipsum ex legibus factum esse demonstrarent, tum eas, quas mutuas inierant partes condiciones confirmarent atque, ubi necesse erat, ipsae eius loco, cuius a partibus stabant, officia subirent.

Ex Graecis quoque titulis non defuisse tales viros partes iuvantes satis apparet; sed firmam de ea re regulam constitutam non fuisse, nomina ipsa generaue harum personarum docent, quae occurrunt in titulis lapidibus insculptis.

De pecunia testibus „μνήμης ἔνεκα“ apud Thurinos data quae narrat Theophrastus, p. 33 sqq. commentata sunt.

I. Μάρτυρες.

Quos cum in eis praecipue titulis videamus, qui sunt de servorum manumissione, tum eos usitatos fuisse putem, cum solemnique quadam natura praeditus erat contractus. Eorum nomina, quos Delphis hoc testium munere functos esse Foucart¹⁾ demonstravit, breviter enumeranda sunt.

I. Sacerdotes vel templi magistratus:

a) sacerdotes Apollinis eique duo; interdum occurrit unus modo.

b) οἱ νεωκόροι.

c) προστότης [τοῦ ἱεροῦ].

II. Civitatis magistratus.

a) ἄρχοντες eique tres.

b) βουλευταί.

III. Ἰδιῶται, privati homines, quorum de numero certi quidquam ex titulis concludi non potest. Siquis quaerat, qualis fuerit horum testium natura, facile intelleget, non eandem eos habere indolem quam βεβαιωτῆρας, quos in eisdem titulis Del-

¹⁾ Archives des miss. scientif. nouv. sér. III, p. 395 sqq.

deorum loco pactionem ineunt, *συμβεβαιωτήρων* munus obeunt, hoc loco vocem non plane eandem vim habere verisimile est, quam in Delphicis titulis eam habuisse supra demonstratum est. Ita forte vocem explices in titulo Halicarnassensi, ut dei eorumque fideiussores se condicionibus pactionis staturos esse promittant.

Apud Amphipolitanos *βεβαιωτήρας* datos esse titulus Hermes II, 171 docet.

Mylasenses quoque emptionis venditionis contractus sine *bebaiosi* non iniisse ex titulis Bull. de corr. hell. V, p. 108 sqq. A et B apparet. A, 12: *βε]βαιωτὰς διδούς*; B, 5: *βεβαιωτὰς διδούς*.

IV. Συμπρατήρ.

συμπρατήρα idem valere atque *βεβαιωτήρα*, Caillemer (l. c.) demonstravit; quae igitur de hoc diximus, ad illum quoque referenda sunt. De

V. Ιασensium

usu ex titulo Bull. de corr. hell. V, p. 492 sqq. docemur. Venditor exhibet *μνήμονας* v. 32: (*μνήμονες συνε[πώλησαν]*), quos praedes Hauvette l. c. recte cum eis comparasse videtur, quibus nomen est *βεβαιωτήρες* et *συμπρατήρες*. Item, quae verba facit de eorum natura, qui dicuntur *γνώμονες*, plane comprobanda existimo; esse *γνώμονας* ex Atticarum legum¹⁾ analogia *ἐπισκόπων* quoddam genus, eosque id curavisse, ut talis esset res vendenda, qualis legibus postularetur. Illud quoque quod opinatur, „*παῖδες*“ non esse „liberos“ sed „servos“, eo probari puto, quod non apponuntur eorum nomina.

VI. Συνεπαινοῦντες, συμπωλοῦντες, συγχωροῦντες

tituli Tenii, C. I. G. 2338. Legibus eos postulatos non fuisse, voces ipsae monstrant; siquis in re vendenda aliquid iuris habet, *συμπωλεῖν*, *συνεπαινεῖν*, *συγχωρεῖν*, i. e. confirmare debet, fieri venditionem suo consensu. Neque aliter me iudice intelligendi sunt ei in titulis Delphicis, qui dicuntur *συνεπαινοῦντες*, *συνευδοκοῦντες* (Foucart l. c.).

¹⁾ Harpocrat. Et. Magn. s. v.

§ 7.

Pretium quando solvendum fuerit.

Totum pretium statim solutum esse Delphicorum quorundam titulorum formula docemur: „τὰν τιμὰν ἔχει πᾶσαν“ (sc. venditor).¹⁾ Platonis igitur institutioni, qui quidem Charondae leges secutus esse fertur, respondere videtur hic usus²⁾, ut pretium statim solveretur neque prius res empta in alterius possessionem transiret, quam totam pecuniam accepisset venditor. Sed ut fuerit hoc in eis pactionibus, ubi agebatur de minoris pretii rebus; certe hanc institutionem valere potuisse iam supra negavimus in pactionibus de bonis, domibus, hortis, similibus; verisimile enim non est, earum rerum emptores praesto habuisse tantum pecuniae, quantum eis solvendum erat ex pactione. Pretium igitur divisum erat in complures partes, quas aequis portionibus terminis in contractu constitutis pensitare debebat emptor. Optime hoc probatur titulo Ἀθήν. VII, p. 207, qui est de vendendo Aesculapii sacerdotio; versus addam huc spectantes: vs. 16: χιλίας δραχμὰς ἀποτεισάτω ἱερά[ς τοῦ | Ἀσ]κλαπιού· τᾶς δὲ τιμᾶς καταβαλεῖ [τὸ] | ἡμι]σσον καὶ ἑκατοστὰν καὶ τριακο[στὰν] | ἐν] τῷι Πεταγεινίωι μηνὶ πρὸ τᾶς δε[κάτας? | . .]τ ἡμίσειον ἐν τῷι Διονυσίωι πρὸ [τᾶς . . | α]ς ἐπ[ὶ δ?]έκα· τὰν τιμὰν πᾶσαν κα . . . κτλ. Contrariam habemus institutionem Charondae Platonisque praeceptis; sed quominus utramque rationem inter Graecos valuisse putemus nil impedit, etsi verisimile est propter causam supra significatam, eum praevaluisse usum, quem titulum illum a Cumanude editum praebere vidimus. Et quid arrham dare oportebat, quid opus erat testibus, qui, ut pactionis condiciones legitime observarentur confirmabant, si pretium totum statim solutum est?

Atque ipse docet Theophrastus, non ubique emptorem statim pensitasse pretium: „δει γὰρ ὀρίσθαι, καθάπερ ἐν τοῖς τῶν Θουρίων, τὸν μὲν ἀρραβῶνα παραχρῆμα, τὴν δὲ τιμὴν αὐθήμερον“. Thurini igitur proxime ad Charondae illud praeceptum accessisse videntur, cum pretium eadem iam die, qua inita est pactio, solvi deberet. Sed pergit philosophus:

¹⁾ Foucart l. c. p. 383 sqq.

²⁾ Plat. legg. XII, II, p. 915^d Theophr. l. c.

vectigal, quale fuerit decerni nequit; mirandum certe est, quod in una pactione duo vectigalium genera partibus imposita esse videntur, *ἐκατοστήν* dico et *τριακοστήν*. *Τριακοστής* cuiusdam mentio fit in titulo admodum mutilo C. I. A. II, No. 177.

IV. *Πεντηκοστή*.

Cives Atarnei urbis in emptione venditione pentecostam pensitasse ex titulo Le Bas III, No. 1563^a v. 5 elucet: *τῶν δὲ προ]ηθέντων τελείτο πεντηκ[οστήν κτλ.* cf. Dittenberger, Syll. II, p. 167.

Vita.

Natus sum Eduardus Georgius Anthes in vico Hassiaco Brensbach, sito in montibus qui dicuntur Odenwald, a. d. III ante Non. Jun. a. MDCCCLIX patre Henrico pastore, matre Francisca e gente Lucia, quibus ambobus valde laetor adhuc viventibus. Prima litterarum elementa cum a patre accepissem, a. LXXIII h. saec. in Gymnasium illustre Darmstadinum receptus, scholas eius cum C. Bosslero tum A. Weidnero rectoribus per novem semestria frequentavi. Postquam testimonium accepi, quo me dignum esse, qui universitatis litterarum civis fierem affirmatum est, priusquam ipsa studia inirem, erga patriam officia obeunda esse putavi atque per unum annum stipendia merui voluntaria Darmstadii. Anno LXXVIII h. saec. in numerum civium Almae matris Lipsiensis receptus, philologis incubui studiis usque ad annum LXXXIII. Scholas adii quas habuerunt Arndt, de Bahder, Curtius, Drobisch, Eckstein, Heinze, Hildebrand, Kahnis, Lange, Lipsius, Overbeck, Ribbeck, Schreiber, Voigt, Windisch, Zarncke, Zoellner. Seminarii archaeologici per duo semestria sodalis extraordinarius, per quattuor ordinarius fui; societatis philologiae Ribbeckianae per unum semestre, antiquariae Lipsianae per quinque, Schreiberianae per tria semestria interfui.

Magistris meis cum omnibus, tum imprimis Lipsio et Overbeckio gratiam semperque eorum memoriam retinebo quam gratissimam.

E. G. M.
19/12/21

